

- 1.) De Concepto renovata ordinationis Cameralis. R. Lincke.
- 2.) De Schultetis, Heimburgis, et Scabinis paganicis. R. Hartung.
- 3.) De Dicasterio Camerali Aulico Rotwicensi. R. Bethmann.
- 4.) De Libertate Statuum Imperii. R. Lynckero.
- 5.) De injusta oppositione Jurium Majestaticorum Superioritatis territorialis, et Reservatorum Imperatoriorum. R. Thomasio.
- 6.) De Superioritate Territ. civitatum Imperialium. R. Wildvogel.
- 7.) De Superioritate Territoriali. R. Lynckero.
- 8.) De Præcedentia. R. Coccejo.
- 9.) De Commissario Imperiali ad negotia Staty. R. Lyncker.
- 10.) De libertate Germanorum exteris militandi. R. Hornio.
- 11.) De Redintegratione Circulorum S. R. Imperii. R. Lynckero.
- 12.) De potestate Electorum & Principum Imperii circa Jus Nobilitatis subditis suis conferendi. R. Tropanneger.
- 13.) De Successione in Germania Territoria. R. Titio.
- 14.) De civitatum dispari nexu cum S. R. Imperio. R. Ludwig.
- 15.) De Idiome Imperiali. R. Lynckero.
- 16.) De Localibus. R. Müllero.
- 17.) De solutione minoris Summa in deductione Majoris.
R. Müllero.
- 18.) De instrumentis privatis eorumque probatione. R. Müller.

388
DISSERTATIO JURIDICA
DE
NOVA CAUSA,

QUAM
IN ILLUSTRIS ACADEMIA SALANA

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO

U. J. D. Instit. Prof. Ordin. & Facult.
Jurid. Asfesi.

IN AUDITORIO JCTORUM

publicè ventilandam proponit

JOHANN CHRISTOPH. ÆSCHARDT,
ISLEBIENSIS.

Ad d. Maij.

JENÆ, TYPIS GOLLNERIANIS, ANNO 1681.

27

ILLUSTRISSIMO COMITI AC
DOMINO

DOMINO

JOHANNI GEORGIO

COMITI AC DOMINO IN Mansfeld/
NOBILI DOMINO in Heldringen/ SEEBURG
& SCHRAPLAU, &c. &c.

COMITI ac DOMINO MEO

GRATIOSISSIMO.

HOEC ACADEMICUM SPECIMEN IN DEBITA
SUBIECTIONIS ARGUMENTUM

eâ qua par est, humilitate

dedicat

A. & R.



B. C. D.

DE

NOVA CAUSA

PROOEMIUM.



Quidem semper idem nolle atque idem velle sapientiam; contra verò maximum iudicium malæ mentis esse fluctuationem, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assiduam jactationem dixit Seneca. Ast virum fortem æque ac prudentem consilium utilitatis publicæ causa mutare posse, sine levitatis nota æquius censetur. *Nemo enim doctus, ait Cicero, mutationem consilii inconstantiam dixerit.* Quemadmodum in navigatione tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas: cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis, potius quam eo mutato, quo velis

A 2

velis tandem pervenire: Sic omnibus in ad-
ministranda Republ. idem propositum esse
debet, non idem semper dicere, sed idem sem-
per facere. Nulla juris sanctio, quantumcun-
que perpenso digesta consilio, ad humanæ
naturæ varietatem & machinationes ejus in-
opinabiles sufficit, ut habet *presat. Clement. in prin-*
cip. & c. 8. in pr. X. de consanguin. & affinit. & ea, quæ sub-
tili observatione cauta sunt, emergentium
causarum turbavit varietas, Ipse Imperator fa-
tetur in *Nov. 49. pr.* Neque id in causis publicis
duntaxat incidit, sed ea quoq; in reliquis priva-
torum negotiis & disputationibus emergunt
sæpius, ob quæ à prima intentione recedatur
necessum sit, totumque causæ statum in aliam
mutent formam; ut proinde omnia intelli-
gantur tacitè sub clausula: *rebus sic stantibus.* Quip-
pe mutato & alterato statu rei, vel dispositio-
nis aut personæ, mutantur, res, dispositio &
persona. In rebus novis novum est remedi-
um & consilium suggerendum Card. Tusch.
lit. E. conclus. 145. n. 1. Tale novum emergens, dici-
tur *nova causa*, ex quo de novo emergente
licitum est consilium & voluntatem muta-
tare, imò ab omni dispositione recedere
arg. l. ii. §. ex causa 8. d. interrogat. action. De qua cau-
sâ, quæ per complures fermè juris articulos
se

se diffundit, paucis agemus discursui academi-
co materiam præbituri. *Annuat Deus!*

CAPUT I. QUID NOVA CAUSA DENOTET.

THES. I.

Novum dicitur, quod antea non fuerat, sed *Novum*
noviter repertum est, Curt. *in repet. l. admo-*
nendi n. 13. vol. 2. ff. d. jurejur. vel fuerat olim, sed
revocatum, ut intuitu renovationis dica-
tur tale, arg. *l. Prætor. §. fin. ff. d. damno inf.*
Et trahitur illud ad negotia & dispositiones
hominum, ubi eorum voluntates quid immutat. Sic no-
vum non est, quod est usitatum *l. non est novum ff. d. legib. no-*
vum non facit, qui detegit, quod vetus est *l. adeo §. cum*
quis ff. d. acq. rer. domin. Novum æs alienum contrahi dicitur
in *l. si quis quempiam ff. si quis sicut.* Accipitur aliquando
novum pro iniquo; sic jus novum dicitur pro iniquo
in *l. 1. §. 1. ff. quod quisque jur.* Novum jus dixit Irnerius
in *epit. Nov.* quos Authenticas vulgus appellat. Novum opus
nunciat aut dicit, qui alteri ne novum faciat opus, denunci-
at & prohibet *l. 6. d. nov. oper. nunciat.* Novum vectigal intelli-
gitur nunc primum inventum, vel modum priorē excedens
Gothofr. *ad Nov. 43. c. 1. §. 1.* Novum temporis est inauditum
& invisum, id est, non ante visum, ignorationis, & rei quæ
non venit in sensum. Ita quædam prisca possunt esse no-
va. Novus homo dicitur servus manumissus, postea in
servitute redactus *l. si servus in fin. ff. d. adim. legat.* Calvin.
in lex. jurid. hac voc.

THES. II. *Causa* (quod vocabulum alii causam scri-
bunt & rectius esse dicunt) varias habet significationes. Ci-
cero

cero in Topic & ex eo Vosius *Inst. Orat. l. 1. c. 1. sect. 2.* causam pro materia orationis maximè propria seu quæstione finita accipit, ubi dicit: *Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ἡ πρόθεσις Greci vocant, nos causam.* Icti in ista significatione non acquiescunt, adeoque modo accipitur pro lite §. *si quis agens Inst. d. actionib.* unde est quod dicitur: causa cadere, id est, litem perdere, rem amittere. *l. 1. C. d. reb. cred. & causam agere, est litem persequi.* Quandoque causa à lite separatur, uti in *l. 16. C. d. transact. & c. forus X. d. verb. signif.* Causa significat jus & conditionem rei, ejusque utilitatem in titulo, ff. *de fructibus & omni causa.* Causa pro titulo debiti, actionis, dominii, possessionis sumitur in *l. 16. ff. d. privil. cred.* Causæ appellatione forma quedam & species continetur *l. 44. ff. d. oblig. & act.* Causa pro querela ponitur in *l. 34. C. de inoff. testam.* Causa negotium, contractum & obligationem significat *l. 9 in pr. ff. si cert. pet.* Causa quandoque denotat præstationem i. e. dationem vel factum ex conventionem sub lege mutuae præstationis facta ita ut si quid dari vel fieri ab altero cœperit, alter rursus ad implementum ejus quod promisit, teneatur *Accurs. in l. 7. §. 2. ff. d. pact. vid. l. 5. l. 15. ff. d. præscr. verb. l. 1 §. 2. ibi: ex re tradita ff. d. rer. permut.* Tandem causa & factum interdum pro eodem usurpantur *l. plurimum ff. d. jur. & fact. ignor.* plures acceptiones vid. apud Calvin. *c. l. hac voce.*

Quid nova causa.

THESES. III. *Nova causa* (cui æquipollet novum emergens, jus superveniens, negotium noviter resultans) est mutatio & alteratio status rei: seu est qualitas mutans & alterans pristinum statum rei, ponitque aliquid vel permittit quod antea non erat, vel detrahit ei aut eam destruit, quod ante firmum videbatur.

Per multos juris articulos vagatur hæc materia.

Et talis nova causa quandoque existit in Lege, Statuto & Beneficiis; in Matrimonialibus; in Tutelis; in acquisitione dominii; in servitutibus; in possessione; in ultimis voluntatibus; in successione ab intestato; in contractibus; in casu promissionis & factæ renunciationis; Transactionis & Juramenti præstiti; in electione; In delictis; in actionibus & processu ac similibus.

CAPUT



CAPUT II
DE
NOVA CAUSA
IN
LEGE, STATUTO, RESCRIPTIS
ET BENEFICIIS.
THES. I.

E Quidem leges plerumque ita feruntur, quasi perpetuò durare debeant; unde passim in Codice constitutionibus talia verba inserta videre est: *hac perpetuâ lege sancimus, semperque in viridi observantia manere debent l. 5. §. cunctis quoque C. d. heretic.* Ut ex ipso tripode Poeta:

Leges perpetuò valent.

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Et sicuti sine valetudinis jactura nemo facile victus rationem, ita nec leges sine publicâ perturbatione Legislator mutat. Id quod etiam vult præclara Augusti Cæsaris ad Senatum Romanum cohortatio apud Dionem. *libr. 53. ubi inquit: Positas semel leges constanter servate, nec ullam earum immutate. Nam quæ in suo statu eademque manent, etsi deteriora sint, tamen utiliora sunt Reipublicæ his, quæ per innovationem vel meliora inducuntur. Et in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis monumenta esse servanda monet Valer. Max.* Mutationem quippe juris mutatio morum, hanc novitas quædam subita sequitur; novitatem excipit suspicio, quam comitantur querelæ, quæ omnem denique commovent populum, omnisque mali camerinam.

THES. II. Ast casu & nova causa emergente receditur à legibus & statutis, Card. Tusc. *lit. E. conclus. 145. n. 4.* Textus est in *c. 8. X. d. consangu. & affin.* Ibi dicitur: *non debet apprehensibile videri, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur, præsertim cum ægens necessitas, vel evidens id exposcit utilitas: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.* Nam leges accommodandæ sunt rebus publicis, non res publicæ legibus. Neque

Ast causa emergente receditur à legibus.

Neq; semper & ubiq; est utile, quod aliquando & alicubi utile
 fuit *l. un. C. d. caduc. toll.* Quod eleganter explicat *L. Valrei. in or.*
contra M. Catonem apud Livium l. 34. Ego, inquit, quem admo-
 dum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilita-
 ris causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi
 quam aut usus coarguit, aut status Reipublicæ inutilem fecit; si
 quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, (ut ita dicam)
 & temporibus ipsis mutabiles esse video; quæ in pace latæ sunt. ple-
 rumque bellum abrogat, quæ in bello pax. ut in navis administra-
 tione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt. Uti er-
 go cessat lex, ita obligatio non solum à parte legislatoris, si
 ipse illi aliàs obligaturæ auctoritatem suam subtrahat, legem-
 que aut in totum aboleat, aut in certis casibus seu personis
 valere nolit, sed etiam à parte objecti seu materiæ circa quã,
 si actio, circa quam occupata fuerat, successu temporis de-
 finat in potestate nostra esse, ut juberi amplius cum effectu
 non possit, prohiberi eam opus non sit *D. Conring. dissert. d.*
legib. th. 36. Ut dicendum sit, Leges & mores suum habere
 ævum & fatum, ut quod quandoque inhonestum visum est
 & prohibitum causa nova existente honestè fieri putetur
Hering. d. fidejuss. c. 33. n. 49. Sic exhausto ærario & multo
 imminuto civium numero leges caducariæ introduceban-
 tur, quæ tamen aucto ærario civiumque numero quasi sene-
 scebant, vid. *Cujac. in paratit. l. un. C. d. caduc. tollend.* Juvat
 hac de re *Gellii* audire verba, qui libro 20. *Noct. Attiar. cap.*
1. ita: Non enim profecto ignoras, legum oportunitates & mede-
las pro temporum moribus, ac pro utilitatum presentium rationi-
bis, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, mutari at-
que flecti, neque uno statu consistere, quin ut facies cæli & maris, ita
rerum atque fortune tempestatibus varientur. Quid salubrius
visum est rogatione illâ Stolonis iugerum de numero definito? quid
utilius plebiscito voconio de coercendis mulierum hereditatibus?
quid tam necessarium existimatum est propulsandæ civium luxu-
ria, quàm Lex Licinia Fannia aliæque item leges sumptuariae? O-
mnia tamen hæc oblitterata & operta sunt civitatis opulentia quasi
quibusdam fluitibus exæstuantis.

THES.



THE'S. III. Nova ista causa mutat legem vel statutum
aut in totum, aut pro parte. Priori casu, vel abrogatur, nul- *Nova cau-*
la aliâ lege substituta, ita ut nec jus aliquod ulterius valeat, *sa mutat La*
h. e. destruatur & in totum deleatur. Quæ causa vult, ut nec *vel S. aut in*
correcta vel abrogata lex ad decisionem causarum amplius *totum aut*
allegari possit, Moller. *ad Constit. Elect. p. 4. c. 42. n. 33.* vel ab- *pro parte;*
rogatur, seu novum jus prioris infirmandi gratia promulga-
tur, ac mutato substituitur. Posteriori casu mutatur lex vel
statutum, cum modò pars aliqua mutatur vel corrigitur; id-
que fit vel *surrogando*, quando priori aliquid adjicitur, vel
derogando, cum pars aliqua eidem detrahitur *l. 102. ff. d. V. S.*

THE'S. IV. Neque tamen illud novum emergens *Novum e-*
mutat justitiam legis vel statuti, quasi duo contraria simul *mergens*
stare possint, ut nempe lex hodie justa videatur, quæ alio *non mutat*
tempore censeatur injusta. Temporum diversitas confide- *justitiam le-*
randa, & mores hominum perpendendi sunt, cum fieri pos- *gis vel sta-*
sit, ut temporis, status & Reipublicæ ipsius mutatione factâ *tuti.*
illud quod antea obtinebat, diversum jam nunc sit atque in-
justum; variatâ enim causâ secundum circumstantiam &
dispositionem subjecti in quod agit, variatur etiam effectus
arg. l. un. C. d. imponend. lucrat. descript. lib. 10. Ergo exinde justitia
est non varia & quæ in eâ radicatur lex; sed ipsa potius tem-
pora moresque hominum, quibus lex est præscripta, non pa-
riter eunt, ut ex Augustin. *lib. 3. d. confess. c. 7* infert Cothm. *ad*
tit. C. d. legib. n. 19. Neque adversatur naturali rationi, quæ
immutabilis esse dicitur, siquidem ea in thesi procedunt, non
verò in hypothesi. Equidem omnis lex fundatur in ratione
naturali, ut secundum eam justè & honestè vivatur: quo ca-
su autem ita vivamus, illud ex temporum, hominum & mo-
rum mutatione solùm æstimatur, Didac. Covarruv. *ad cap.*
aliena mater in relect. 2. n. 2. d. sentent. excommunic. in 6. Ut-
cunque ergo lex vel statutum variant, iniquum tamen non
statim statuunt, neque à ratione naturali in totum recedunt;
sed ita disponunt, ut salus populi suprema lex semper ma-
neat *c. non debet 8. X. d. consangu. & affinit. c. fin. dist. 14.*

THE'S. V. Rescripta & Decreta quæ ab eo, qui jurisdictioni *Rescripta &*
B. loquitur præ-

Decreta ob N.C. mutantur. præst, statuuntur, partibus in rem iudicatam transeunt, si intra decendum non contradixerint Jason, *ad l. 14. d. R. l. n. 31.* neque licet his contravenire eaque reddere elusoria *l. 75. ff. d. iudic.* Quando tamen nova causa supervenit, ut si appareat obreptitiè per falsam & mendacem suggestionem esse impretata, nulla sunt *l. 26. §. 8. d. fideicommiss. libert. l. 1. d. natal. restit.* vel si sint impossibilia, v. gr. si solutio debitori sit iniuncta, ob molem verò contributionum, quæ publicam utilitatem respiciunt, ad solvendum inutilis reddatur, casu isto ita emergente possunt rescripta mutari.

Beneficium ob novum emergens alteri potest auferri. THESIS VI. Similiter beneficium, quod sine justa & legitima causa alteri nequit auferri *l. quod semel §. ff. d. decret. ab ordin. fac. Tusch. præd. concl. tom. 3. concl. 751. n. 29.* sed illud decet esse mansurum *c. decet. 16. d. R. l. in 6. c. 1. in pr. d. privileg. eod. & revocari facile nequit Canis. ad d. reg. decet ex nova causa, suadente & ita exigente utilitate publica recte revocatur; hoc enim casu uti Princeps jura & privilegia concedere *l. 3. ff. d. offic. præd.* ita etiam tollere potest *d. l. 5. l. 11. §. 2. ff. d. muner. & honorib.* Ita tempore penuriæ urgentisque necessitatis privilegia silere æquitati consentaneum est *l. pro tyronibus C. d. privil. dom. aug.* Hinc Cicero *lib. 2. d. offic.* scribit: Non esse dubium, quin propter ærarii tenuitatem tributum sit conferendum, ut omnes intelligant, pro salute Reipublicæ necessitati parendum esse. Cujus quoque sententiæ meminit Ripa *in tractat. d. peste tit. d. remed. ad conservand. ubertat. n. 184.* vel si post concessionem postea emergat ejusmodi causa nova, quæ vel in detrimentum Principis cedit, vel in aliorum persona illud damnosum aut iniquum efficit *l. ex fact. 43. in pr. ff. d. vulg. & pupill. substit.* ubi enim privilegia fiunt damnosa, meritò abrogantur Sichard. *ad l. 4. n. 4. C. d. testam.* & quæ lædunt Rempubl. quamvis primitus utiliter concessa sint, invalida redduntur latè id docente Joh. Oldendorp. *cons. Marp. s. n. 30. 31. 32. vol. 1.* Accedit quoque quod scribit Felin. *in c. novit. col. fin. vers. 2. limitat. d. iudic.* quòd privilegium concessum non subdito, quod ex facto læderet concedentem præter eius intentionem, resolvatur ipso iure, aut possit revocari. Idem tenuit Rip. *in resp. 7. in 8. dub.**

8. dub. in 2. par. ubi dicit: Quod privilegium non solum resolvatur, quod ex post facto enormiter lædit tertium; sed etiam quod graviter lædit ipsum concedentem præter ejus intentionem. Destruitur quoque privilegium ex accidente, quando talis casus emergit, ubi verisimilis militat præsumptio, de eo non cogitasse concedentem *l. ex facto 43. in fin. pr. ff. d. vulg. & pupill. substit.* vel quando non expressis quidem verbis, sed facto, vel actu aliquo contrario præsumptio aliqua de mutatâ voluntate oritur, quæ postmodum efficit, ut videatur privilegio renunciatum fuisse *l. 39. ff. d. judiciis. c. si de terrâ 6. X. d. privileg.* & hoc quandoque fit, si quis admittit, quod cum privilegio suo pugnat *l. 30. ff. d. minorib. l. 48. §. 1. ff. d. R. N.* & unico actu directè contrario tacitè renunciare videtur privilegio *l. 4. C. d. pact. inter emt. & vendit. c. 8. X. d. constit.* actu verò unico non directè contrario, qui particularis est nec toti privilegio adversus, sed parti cuiuspiam, non amittitur *l. 12. C. d. excusat. tutor. Conf. Marp. vol. 4. conf. 16. n. 480.* veluti si quis privilegium non solvendi collectas habuerit, ac sponte semel solvat, sibi in futurum præjudicat, nisi protestatus fuerit. Bartol. in *l. 1. C. d. his qui sponte publ. mun. sub.* nisi facta ab eo fuerit protestatio, quod nec intendat renunciare privilegio Klock. tom. I. conf. 15. n. 112.

THESES. VII. Feudum, quod etiam beneficium vocatur *l. feud. 1. §. 2. & 4. l. feud. 14. pr.* debet à successore eo modo concedi, quo antecessor fecit; Ita Prælatus non potest alterare consuetudinem infeudandi Schneidevv. *epit. feud. p. 3. n. 33. ubi n. 38. limitat: nisi de novo supervenerit justa & legitima causa alterandi per c. 2. in fin. d. feud. V. gr. ad formam investituræ accidentalem pertinet juramentum fidelitatis, quod etiam Vasallagium dicitur Schneidvv. d. feud. p. 6. c. 6.* quod juramentum semper præstari convenit, quando id Dominus requirit: Potest tamen ob novam ac justam causam actualis seu corporalis juramenti præstatio remitti Vasallo, quo tamen casu nihilominus Vasallus ad omnia ea, quæ juramento illo continentur, obligatus est, *2. feud. 3.* Ponamus enim feudum aliquod fuisse hætenus apud possessio-

Successor
feudi mu-
tare potest
infeudandi
consuetudi-
nem.

rem Vasallum, qui cum investiretur de feudo, investituram petierit humiliter & nudato capite; ac si Dominus Rex sit, non solum depositis armis, sed etiam in genua procumbendo, Schrader, *d. feud. p. 6. c. 1. n. 19. in fin.* vel si quæ aliæ fuerint adhibitæ ceremoniæ & ritus. Jam verò feudum illud ex causa satis prægnanti legitimè pervenisse ad Principem, qui æqualis cum Domino feudi vel etiam majoris dignitatis sit, uti exempla in Germania quamplurima recenseri possunt; Quis non dicet, ob novam causam hæc solennitates posse mutari, imò concedi ut datâ manu per procuratorem investiatur principalis.

Successor investituram ob novam causam rati habere non tenetur.

THESES. VIII. Successor jure hæreditario succedens, uti factum defuncti præstare *l. 14. C. d. rer. vind.* ita investituram rati habere debet D. Struv. *syntagm. iur. feud. c. 7. th. 9. n. 2.* Nisi nova causa oriatur, ut si salus publica principis resistat, D. Stryk. *in exam. iur. feud. cap. 12. qu. 37.* Vel nisi inimicitia capitales inter Dominum & Vasallum sint, qua causa emergente vasallus ob non petitam investituram aliàs intra certum tempus peti consuetam non amittit feudum *l. feud. 22. pr. ibique DD.* Quæ autem capitales inimicitia dicantur, declarant Glossa *ad l. 15. d. arbitr.* & Andr. de Isernia *in d. c. sancimus & ibi alii.* Rosenthal. *d. feud. c. 6. concl. 53.* adeo ut Vasallus procuratorem mittere eo casu necesse non habeat *arg. l. 26. §. 1. in fin. ff. ex quib. caus. maj.* Idem est si inimicitia non quidem inter ipsum Dominum & Vasallum ortæ fuerint, sed inter Vasallum & tertium, per cujus territorium iter ipsi faciendum *arg. l. 3. ff. ex quib. caus. maj.* Schrader. *d. feud. c. 2. num. 34 & seqq.* nisi Vasallus tam potens sit, ut sine metu istorum inimicorum Dominum adire possit Sylvan. *q. 44.* Rosenth. *concl. 53. n. 6.* Quod verò de inimicitia dictum, ita intelligendum est, ut excusent, modò absque culpa Vasalli inter Dominum & Vasallum fuerint ortæ, *arg. l. 24. §. 4. ff. locat.*

Petenda est recognitio

THESES. IX. Quod de petitione recognitionis feudi dictum est, ut nempe intra annum & diem fiat, accipiendum est, rebus sic stantibus, hoc est, si de herede domini constet,

stet, ad quem dominium directum feudi spectat; Sin autem *investitura* accidat, ut Dominus reliquerit extraneum successorem, & si constet de talem, qui jure directo non succedit, ob hoc novum emer- *morte.*
gens Vasallo ante aditam hereditatem tempus non labi sta-
tuit Rosenth. d. c. 6. conclus. 4. n. 8. pluribus vide hoc thema
tractantem Sylvan. qu. 79. add. D. Struv. syntagm. iur. feud. c.
10. aph. 9. n. 7.

CAPUT III
DE
NOVA CAUSA
IN
MATRIMONIALIBUS.

THES. I.

Sponsalia seu promissio inter novos conjuges invicem facta de consummando matrimonio tanti roboris sunt, ut mutuo dissensu dissolvi nequeant, sed regulariter sint indissolubilia Carpzov. lib. 5. resp. tit. 10. resp. 108. Finckelth. obs. 42. quoniam conjugium non subsistit ex solo contrahentium consensu, sed ex autoritate Dei, à quo in paradiso & in statu innocentiae institutum, unionem & indissolubile vinculum recepit Gen. 2. v. 24. Verùm *nova causa* seu nova emergentia *repudio* quodammodo favent viamque sternunt. Sic si epilepsia, paralytis, lues gallica aliique morbi graviores, & insanabiles post sponsalia de praesenti contracta supervenerint, altera sana pars ad cohabitationem & consummationem matrimonii cogi nequit c. ult. X. d. coniug. lepros. ubi talis casus proponitur: *post sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepra morbum incurrit, (sponsa forsan) Respondet Urbanus III, Papa, quòd ad eam accipiendam cogi non debet, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum.* vid. Carpz. lib. 2. jurispr. Eccles. tit. 10. def. 180. Consult. VVitteberg. c. 5.

*Sponsalia
ob novam
causam dis-
solvuntur.*

ubi dicunt : Nos in morbo Gallico quem pars contrahens celavit alteram partem petentem absolvimus. Quia dolus intervenit. Liber consensus deficit in talem. Metus se quoque admiscet. Metu autem contracta de jure sunt nulla. Imò si D. Gerhard. *in loco d. coniug. §. 167. & Cypræ. d. sponsal. cap. 13. §. 65.* sequi velimus, dicendum, ne volentes quidem ad matrimonium consummandum tali casu à Magistratu admitti debere. Sed magis est, ut cum D. Carpzov. *Jurisprud. Consistor. lib. 2. tit. 10. def. 180. n. 13.* Magistratum moneamus, ut ante solutionem sponsaliorum certum tempus curationi præfigat, & morbo non cessante demum ad dissolutionem procedat *vid. l. pen. ff. d. sponsal. l. 2. C. eod. Hostiens. in summa tit. d. sponsal. n. 3.*

Utrum si virgo usu oculorum privetur, sponsalia rescindantur. **THESES II.** Utrum verò si virgo vitio oculorum nullo laborans contraxerit sponsalia, postea verò visu privetur, sponsus à talibus sponsalibus resilire possit? Cum D. Strykio *diff. d. jure sensuum 2. c. 2. n. 7.* dicimus: oculorum privationem ad dissolvenda sponsalia sufficere, per textum in *c. quemadmodum 25. X. d. jurejur.* ubi non saltem ob morbum contagiosum, sed & ob insignem deformitatem ex oculorum amissione supervenientem permittitur repudium: verba hæc sunt: *Quod si post huiusmodi iuramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret; num quid vir eam tenetur ducere in uxorem? profecto ductam non posset dimittere. Sed num quid non ductam admittere teneretur? quamvis interdum contractum non divinat, quod impedit contrahendum.* Ut ex iisdem mens Pontificis constet, vitium cæcitas post nuptias contractas superveniens ad divortium non sufficere; nam & uxorem cæcam retinere debet maritus *c. si uxorem 18. c. 32. q. 5.* sufficere tamen ad repudium seu sponsaliorum dissolutionem. Difficilius enim divortium quàm repudium permittitur; & facilius matrimonium contrahendum impeditur, quàm contractum dissolvitur. *Sebast. Medices d. casib. fortuit. p. 2. qu. 6. n. 32.* rationes pontificis examinat D. Stryk. *d. l.* Monendus quidem ante omnia sponsus est, ne sponsam oculis privatam derelinquat, sed matrimonium consummet potius. Quod si verò

rò admonitionibus eò deduci non possit, tandem repudium concedi poterit, præsertim altera parte consentiente Carpz. *Jurispr. Eccles. lib. 2. tit. 10. def. 181.* Temporis tamen spatium quoddam expectandum esse, ut appareat, annon medicabilis sit cæcitas, benè monet Paul. Cypræus *d. sponsal. cap. 13. §. 67. & 68.* Sed quid, si alterum ocalum saltem amiserit sponsa, an sic resilire sponso licebit? Negat cum multum intersit oculum, an oculos amiserit sponsa: Hoc casu planè inhabilis est ad mutuam adiutorium marito præstandum; non illo casu; quia videndi facultatem in altero oculo salvam habet. Quod si tamen constanter recuset sponsus, & magnæ lites infelixque matrimonium metuatur, repudium indulgent DD. ob quamvis insignem deformitatem Carpz. *d. l. Cypræus c. l.* ad quam amissio oculi referri potest. D. Aveman, *gamolog. synopt. lib. 1. tit. 13.* intert: Tristis metuendus est exitus, si quis eam ducere compellitur, à qua ob insignem deformitatem abhorret. Et huc tendit rescriptum Innocentii III. antea citatum; & quod ex Tiraquell citari assolet: *Nihil tam firmum ac præcisum est, quin semper cum ista clausula (rebus sic stantibus) intelligatur*, vid. Sanchez. *Tom. 1. l. 1. d. sponsal. disp. 57.* Nutant profectò, & variis casibus ex transverso occurrentibus expositæ sunt res humanæ. Crediderim, qui contrahit, semper intueri statum præsentem, ac cardinem, in quo res jam vertitur, non autem statum futurum, adhuc incognitum, adhuc nutantem inter esse & non esse, cùm primis deteriore & miserum, quem nemo appetit, sed omnes extremè detestantur. Hem quantum malum in perpetuam detrudi miseriam annos vernantes! Si vero tales morbi contagiosi, de quibus thesi præcedente dictum, constante matrimonio incidant, non sunt causæ ad totalem matrimonii dissolutionem; in matrimonio enim multa eveniunt, propter quæ conjuges abstinere debent; licet absque culpa, non absque causa ut loquitur Pontifex *in c. fin. X. ut lite non contestat.* Carpz. *Jurispr. Consistor. lib. 2. d. 180. n. 3.* Ista tamen nova causa separationem habitationis operatur; nam Deus ipse ab horum consuetudine, qui tali morbo infecti essent, lege per Moylen latâ abstinere jussit *Levitic. 13. vers. 4*

T H E S

Superve-
niens fu-
ror dis-
solvit spon-
salia.

THESES. III. *Furor*, post contracta sponsalia, superveniens tanquam nova causa dissolvit ea, cum furiosus ad conjugalem conjunctionem non sit idoneus, & nihil intelligat; imò furor qui rationis usum exterminat, societatem istam, quæ non modò corporum, sed etiam animorum est conjunctio, miserabilem non solùm & calamitosam reddat, sed & ei planè advesetur. *l. 22. §. 7. ff. sol. matr.* Non tamen sponsalia ob furorem prius dissolvi poterunt, nisi talis sit, cujus curatio difficilis ac vix speranda, vel etiam tam vehemens, ut furioso sine vitæ discrimine cohabitari non possit *d. l. 22. ff. solut. matr.* aliàs differenda est solutio sponsaliorum, usque dum appareat de cura furoris desperata, nisi ægrotus ante sponsalia morbo hoc percitus illum celaverit *Carpz. d. l. def. 183.* Hæc judicis arbitrio committenda sunt, qui inspectis & probè perpensis circumstantiis, cum vinculum conjugale non sit nexum, etiamsi sponsalia jam de præfenti facta fuerint, sententiam æquitati congruentem feret *Carpz. p. 2. d. 182.* Sin autem hocce furoris malum matrimonio jam contracto & consummato supervenit, vinculum illud nullatenus rescindendum est, sive hic sit perpetuus sive transitorius *l. 22. §. 7. ff. sol. matrim. l. 6. ff. d. sponsal. l. 16. §. 2. ff. d. rit. nupt. Kyzel. sylv. matrim. c. 6. th. 7. lit. d.* Videtur quidem ac si Imperator Leo in *Novell. III. §. 112.* asserat, ob furorem dissolvi posse matrimonium, dum viro post quinquennalem furorem mariti aliud permiserit inire conjugium: sed hæc sententia multis rationibus rejicitur, cum nihil humanius aut individux conjugii fidei convenientius, quàm diversæ fortunæ & fortuitorum casuum conjuges ex æquo esse participes *d. l. 22. §. 7. ff. solut. matr.* vid. *Alber. Gentil. disp. d. nuptiis lib. 6. c. 18. Carpz. p. 4. c. 20. d. 11.* Eo tamen casu volenti separatio habitationis non est deneganda, quando periculum vitæ alteri conjugum imminet *Carpz. pract. crimin. p. 2. qu. 61. n. 39.*

Inimicitia.

THESES. IV. Quando post contracta sponsalia inimicitie irreconciliabiles emergunt, ita ut tam exulcerati videantur spon-

Sponsorum animi, ut iudici verisimile non sit, unquam inter eos coalituram concordiam, vel nuptias illas materiam ca-
dibus vel adulteriis daturas, utique permiffum erit iudici
ob hanc novam causam sponsalia diffolvere D. Carpz. d. l. d.
176. D. Richter. p. 1. dec. 8. Befold. in consil. Tubing. p. 5. conf.
237. n. 44. Colleg. Argentorat. d. sponsalib. §. 16. In consummato
verò matrimonio ob inimicitiam quoad thorum & mensam
conjuges separari possunt c. 8. vers. si autem X. d. restit. spoliat.
Farinac. oper. crim. p. 5. q. 143. n. 144. Cardin. Tusch. voc. inimicitia
concl. 148. n. 13. modò inimicitia sit capitalis Farin. c. l. Carpz.
lib. 2. d. 176. n. 5. & seqq. §. 210. n. 15. Ob frigusculum enim seu le-
viores inimicitias sponsalia publica non rescinduntur Carpz.
d. l. defm. 176. n. 6. D. Præses in dissert. d. frigusculo, c. 4. th. 2.
Olim etiam divortium inter conjuges fiebat cum ira animi
& offensa l. 32. §. 10. ff. d. donat. int. vir. & ux. ut cum mulier
divertebat l. 14. §. 2. ff. qui & à quib. manum. Suas res si-
bi habere jubebatur l. 2. §. 1. d. divort. hodie verò non item
vid. D. Præses d. l. th. 6.

THESES. V. Si nova causa gravioris delicti, ob quod in- Ob gravius
famia pariter & pæna capitalis irrogatur, in altero desponsa- delictum
torum emergat, dissolvuntur sponsalia Carpz. lib. 2. Jurispr. sponsalia
Consist. def. 178. Unde si voluntarium ac dolosum homici- dissolvun-
dium commiserit sponsus audienda est desponsata, si à spon tur.
so post cædem se liberari petat D. Gerhard. in loc d. conjug. §.
166. Ob furtum ab uno conjugam stante matrimonio com-
missum divortium fieri nequit; Num verò separatio quo ad
thorum & mensam concedenda sit, juxta jus Canonicum in
c. 2. X. d. divort. negandum videtur, ibi enim expressè dici-
tur, quòd mulier pro furto vel alio crimine viri sui separari
non debeat: loqui autem Pontificem de separatione quoad
thorum & mensam dubio caret, cum hæc sola de jure cano-
nico admittatur.

THESES. VI. Quando sponsa ignoravit à sponso Quando
fornicationem aut stuprum commissum esse, post sponsalia sponsa igno-
autem de tali facto noviter certior fiat, potest ob hanc no- ravit à
vam causam si vult repudium impetrare, affirmante id Carpz sponso for-
lib. 2.

nicationem lib. 2 Jurispr. eccles. def. 188. Aveman gamolog. synopt. d. l. Si aut stuprum in matrimonium ducta est, ante verò & post nuptias ignorasse commissum.

viro abstinerit, potest ad divortium provocare, & ita in Consistorio Lipsiensi 1673. pronunciatum est. Nachdem sich Cajus mit seiner Magd / da zwischen der Ottilia allbereits öffentliche sponsalia gehalten gewesen / fleischlich vermischet / und dergestalt hierdurch von ihm ein wahrhaftiger Ehebruch begangen worden / die Ottilia auch ihm solchen zu verzeihen und gebrochener Treu und Glaubens ungeachtet / ferner beyzuwohnen sich nicht bewegen lassen wil / So mag die gängliche Ehescheidung deswegen wol vorgenommen werde / der Ottilia auch hernach / im Fall sie ohne Verletzung ihres Gewissens auffer der Ehe zu leben nicht vermochte / sich in andere Wege gebührlich zu verheyrathen verstattet werde
B. N. W.

Si quis ex errore viti- atam ducat pro virgine. THES. VII. Si quis contraxit sponsalia vel duxerit aliquam, quam putat esse virginem, cum tamen postea appareat, corruptam seu vitiatam esse, propter hoc novum emergens licitum est dissolvere sponsalia, vel etiam cum ea, si haberet in matrimonio, divortium facere, quia dolus decipienti non debet patrocinari *l. r. ff. d. except. dol. mal.* quod ipsum vult lex divina *Deut. 22.* quæ jubet lapidibus obrui compressam ab alio, & postea alteri, ac si esset virgo, nubentem, vid. *Seld. ux. hebr. l. 3. c. 1. p. m. 319.* quæ lex tanquam Mosaica ad nos quidem nihil pertinet, nihilominus tamen in Consistoriis nostris error virginitatis divortium parit; certum enim est heic non nudam qualitatem, sed ipsam conjugii hypotheticè considerati substantiam, aut saltem qualitatem intrinsecam, adeoque naturalem & de virgine semper tacitè subintellectam concernit B. Luther. *in lib. von Ehesachen art. 4. §. in diesem.* Bechstad. *d. condition. sponsal. c. 10. n. 14.* Ziegler. *ad Lancellott. lib. 2. tit. 12. §. 1.* Quid si huic novæ causæ alia nova superveniat, ita ut corruptione cognita sponsus sive maritus nihilominus cum eâ egerit, divortium minimè procedit, *Carpz. lib. 2. jurispr. consistor. def. 193. §. 197.*
Secus

Secus est si ignorantia in viro adfuerit ante & post copulam, à tempore tamen comperti stupri castè vixerit, sponsamque non attigerit, tunc marito divortium conceditur, injuncto quandoque juramento Carpz. *d. l. d. 198.* vel si sponsæ stuprum sit illatum D. Hahn. *ad tit. d. rit. nupt. n. 6.*

THESES. VIII. Casus est: M. maritus migrat Romam ibique se pro soluto venditat, ducitque uxorem Cajam, atque ex eâ criminis hujus ignara procreat filium. Hoc delictum bigamiæ tanquam nova causa postmodum manifestatur, M. punitur. Q. Num ex bigamia natus levis notæ macula laboret? Negat, cum non quidem ex rigore legum, ex Principum tamen humanitate, alterutrius partis bona fides sufficiat *l. 57. §. 1. d. rit. nupt. c. 2. c. ex tenore pen. X. qui fil. sunt legit. vid. Gutierrez. lib. 5. qu. 47.* ubi talem natum etiam respectu mala fide contrahentis legitimum esse defendit. In priori casu pronunciarunt Dnn. J. Cti Helmstadienses: Ob wol H. B nicht gebühret hat / bey Leben seiner zuvor genommenen Ehefrau / sie zu verlassen / und eine andere anderswo zu nehmen; Nach dem gleichwol dieselbe andere Frau / seiner noch wehrenden Ehe unwissend / ihn öffentlich als zur Ehe ihr durch den Prie- zusprechen lassen / Daß dennoch der von ihm und ihr geborner Sohn nach besage der Nechten / pro legitimè nato zu halten / vid. D. Fromman. *Jct. Tubingensis disp. d. lev. notæ macul. th. 17.*

THESES. IX. Si matrimonio consummato nova impotentia causa superveniat, ea verò ab ipso marito voluntariè operâ adhibitâ vel medicamentis, vel ferro vel alio modo illicito sit quæsitâ, divortium parere videtur, atque vir à Magistratu severè puniendus est; ob aliam supervenientem impotentia causam vel maleficali, vel ex vi externa, convulsione, paralyfi, frigidâ intemperie orta divortium non ita facilè concedendum erit.

THESES. X. Novæ tamen causæ Monachismi, Captivitatis, Servitutis ut ob istas vinculum matrimonii dissolvatur, de moribus nostris non frequentantur Rittershus. *ad Nov. p. 1. c. 6. n. 44.* Speciatim verò conjux ad divortium

Ex bigamia natus non est infamis.

Nova impotentia causa supervenient, si voluntaria est, divortium.

provocare nequit, etiamsi maritus captivus mane atin perpetuum, uti Consistorium Lipsiense anno 1673. respondit verbis: Weil so wol nach den neuen Kaysers. als Geistl. Rechten propter captivitatem die Ehe nicht getrennet werden kan/der freche Ehegatte auch/ehe und bevor er gründliche Gewisheit/das der Gefangene mit Tode abgangen/sich anderweit zu verehelichen nicht befugt/ sondern vielmehr in der Einsamkeit/ bis an sein Ende zu verbleiben/ und dieses als wie sonst ein malum constante matrimonio superveniens, wodurch das Ehemahl so wol zur ehelichen Bewohnung/ als zum mutuo adjutorio ganz untüchtig wird / in Christl. Gedult zu ertragen schuldig/so mag auch Titio, ehe er um der Benigna Todesfall gewisse Nachricht erlanget/ zur andern Ehe zu schreiten/keines Weges nachgelassen werden.

Casus ex §. 5. Inst. quib. ex caus. manum.

THESES. XI. Denique ad novam causam in causa matrimoniali incidentem pertinet casus in §. 5. Inst. quib. ex caus. manum. non sic. Ubi justa causa manumissionis habetur, si quis ancillam matrimonii causa manumittere velit, ita ut manumissor præstet prius juramentum, quod illam mulierem intra sex menses in uxorem ducere velit d. §. §. l. 13. ff. d. manum vindict. Excusatur tamen ab ea ducenda si nova causa & novum impedimentum superveniat, ut si manumittens interea Senator factus fuerit tunc eam amplius ducere non cogitur, nam Senatori non licuit libertinam uxorem ducere l. 23. ff. d. rit. nupt. idque ideo, ne sanguis senatorius inficiatur Manz. ad d. §. Inst. quib. ex caus. & sic nova causa novum postulat consilium Gail. lib. 1. obs. 24. in fin.

Adulterium dissolvit conjugium.

THESES. XII. Si stante matrimonio adulterium una pars conjugum commiserit, genuina est & primaria divortii causa tam de jure divino Matth. 5. quam Canonico c. significasti 4. d. divort. in tantum, ut parti innocenti à nostris Consistoriis permittatur cum alia contrahere matrimonium, vivente adhuc adultera Schneidevv. ad tit. d. Nupt. Vel si mulier adulterii suspecta levitate seu impatientia freni conjugalis vel aliis non necessariis causis impulsam, deserendo maritum cum alio effugit, citationibus edictorialibus in tribus domi-

dominorum territoriis affixis desertrice non comparente
pars innocens per sententiam à vinculo matrimonii absol-
vitur, ipsique facultas, ut alii nubat conceditur Beust. p. 2. d.
matrimon. c. 24. Et quamvis nocenti seu adulteræ ad se-
cunda vota transire non facile concedendum sit, quoniam
absolum videtur, adulteram ex perpetrato delicto sentire
commodum Carpz. d. l. def. 191. n. 3. Nova tamen acceden-
te causa fieri potest dispensatio, imprimis si se continere non
possit, ex regula apostolica, nubat; satius enim est honesto
conjugio eam devinciri, quam scortationibus & adulteriis
libere indulgere Gerhard. in loc. d. conjug. §. 622.

THE S. XIII. Quod de dissolutione vinculi matri- *Nisi sit ab*
monialis dictum ita accipiendum est, n̄ nova accesserit cau- *utroq; con-*
sa; Si enim postmodum appareat, quod uterque conjugum *jugum*
adulterio sit pollutus, sit criminis compensatio *c. significasti 4. commissum*
sub fin. caus. 32. q. 6. per tot. paria enim delicta mutua com- *adulterium.*
pensatione tolluntur juxta l. 39. ff. solut. matrim. Vel si uxor
per errorem ab eo, quem forsan nocte proprium maritum es-
se crediderat, cognita fuerit *c. in lectum 34. q. 2.* Vel si vir
mulieri adulteræ debitum reddiderit *l. 13 §. ult. ff. ad L. Jul.*
d. adult. quia maritus tacite rei cognita acquiescisse eique
delictum condonasse præsumitur. D. Wagenheil. in Sota c. 2.
Vel si probetur ab aliquo vi vel dolo circumventam & com-
pressam fuisse, tunc maritus eam recipere necesse habet, ne-
que mulier, sed qui fecit injuriam, gladio puniri debet *c. 32. q.*
5. Cypræ. d. jur. connub. §. 49. Vel si mutua interveniat re-
conciliatio, si enim innocens nocentem velit in gratiam re-
cipere, omnino hic tenetur reverti *c. placuit 32. q. 7.* Vel si
ante sententiam divoritii latam innocens continuerit, post-
modum verò adulterium superveniat, illius qui divoritium
petiit, matrimonium debet redintegrari, *c. ex literis X d. di-*
vort. ubi Panormitan. dicit: Casum singularem esse quod adul-
terium viri & uxoris compensetur non solum ante sententiam di-
vortii latam, ita quod si vir innocens se non contineat post factam
separationem propter adulterium mulieris, debet matrimonium
redintegrari. Nova tamen causa est, si conjux reconciliatio-
ne

ne factâ in adulterium relabatur, quod innocens secunda vice adulterantem accusare & divortium petere possit, quoniam præcedens venia non trahitur ad futura delicta, sed sola præterita respicit *arg. l. non aliàs §. 1. ff. d. judic.*

CAPUT IV DE NOVA CAUSA IN TUTELA.

THEC. I.

Quando pater prohibet fieri inventarium, nihilominus nova existente causa fieri debet.

Si tutor Reipubl. causa abest.

Patrem posse tutori prohibere in testamento suo confessionem inventarii constat ex *l. 13. §. 1. C. arbitr. tut.* quia præsumitur pro patre, quod ex justa causa prohibuerit, exigente id publica pupillorum utilitate, ne secreta patrimonii pandantur *l. 2. C. d. aliment. pupill. præst.* neve insidiæ struantur pupillis ob divitias, vel etiam ne paupertas pupillorum detegatur, quod ipsi etiam testatori esset inverecundum *d. l. 2. §. 1. quand. & quib. quart. pars.* Quando verò nova & urgens causa supervenit, iudex scripturæ patris utilitatem pupillorum præponere atque mandare potest, ut tutor inventarium vel etiam qualemcunque bonorum descriptionem conficiat, v. g. si appareat liberos læsos esse in legitima, vel si iudici de errore testatoris postea constet. Tunc verò iudex non solemne quoddam inventarium, sed saltem summariam & non scrupulosam bonorum descriptionem à tutore curabit confici *Finckelth. obs. 76. n. 24.*

THEC. II. Si accidat tutorem Reipublicæ causa abesse, tamdiu abest, excusatur à tutela, dato interim loco eius curatore *§. 2. Inst. d. excus. tut. l. filiusfamilias l. fin. ff. d. procurat. l. 2. C. si tutor, vel curat. reip. caus.* quem ipse petere debet vel saltem proponere excusationem, ne mediæ temporis periculo obstringatur, ut est in rescripto Gordiani *l. 1. C. si tut. vel cur. reip. caus. ab.* & si interim ad novam tutelam vocatus

catus fuerit, reversus anni habet vacationem §. 2. *Inst. l. 10. ff. eod. l. 2. C. si tut. vel cur. reip. caus.* Qui ultra mare reipublicæ causa absunt, omnino sive in perpetuum, excusantur, sive deponunt tutelam non secus atque ii, qui circa Principem sunt occupati, ut tradit Ulpian. in *l. verum §. ex fact. ff. d. minor.*

THESES. III. Tutores testamentarii, quos pater liberis suis impuberibus, ipsius in potestate constitutis testamentario dedit, onere satisfactionis non sunt gravandi, *l. 17. ff. d. de testam. tut. pr. Inst. d. satisd. tut.* horum enim fides & diligentia ab ipso testatore est approbata, idoneique sunt electi *d. pr. Inst. testatoris ergo* iudicium in hac re aut lex directò sequitur, aut iudicem sequi jubet *Donell. 3. comment. II.* Quando verò nova causa emergit, omnino debent satisfacere *l. 4. ff. de testam. tut.* Utpote si mutati sunt mores tutorum, vel lapsi sint facultatibus, vel celata aut ignorata ante improbitas, emerferit, aut inimicitia cum patre exarserunt *l. 8. ff. d. confirm. tut.* tunc enim Prætor utilitatem pupillorum non auctem scripturam testamenti vel Codicillorum sequitur.

THESES. IV. Cæteri quoque tutores sive sint legitimi, qui propter magnæ necessitudinis & sanguinis vinculum, quo pupillis junguntur, omnem suspicionem effugunt, ita ut eorum interventus etiam in alienis negotiis faciat cessare præsumptionem doli *arg. l. 35. C. d. transact. sive dativi*, quibus, utpote qui coguntur ad suscipiendam tutelam coacto autem non adhæret suspicio *l. 20. ff. d. neg. gest.* removeri possunt, si nova causa superveniat & suspecti fiant; cum sæpe fieri possit, ut is, qui primùm bonæ vitæ, vel frugis videbatur, postea malè conversari incipiat *l. 3. §. 3 ff. d. admin. & peric. tut.* cum melius sit in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium quærere *l. 1. C. quand. licet sin. ju. lic. l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.* Ubi tamen Modestinus *Jctus in l. 9. ff. d. suspect.* benè monet, ut si tutor aliquo vinculo necessitudinis vel affinitatis pupillo conjunctus sit, & quis eorum à tutela removendus videatur, potius ei curatorem

Testamentarii tutores non satisfaciunt, nisi nova causa subortâ.

Legitimi & dativi removeri possunt.

tozem adjungendum, quàm eundem cum ignominia, & nota fide atque existimatione removendum esse Harpr. ad §. 2. Inst. d. susp. tut.

CAPUT V

DE NOVA CAUSA

IN

ACQUISITIONE DOMINII.

THES. I.

Acquirimus rerum Dominia vel jure gentium, vel jure civili. Modi acquirendi rerum dominia juris gentium sunt Occupatio, Accessio, Specificatio & Traditio. Quamvis enim tit. Inst. d. rer. div. & ff. d. acq. rer. dom. plures enumerentur, haud incommodè tamen ad hæc quatuor summa genera revocari queunt. Occupatio fit *venatione* de qua dicitur in §. 12. Inst. d. rer. div. quòd fera maneat in dominio occupantis, donec ipsius custodiã continetur & coercetur, si enim nova evasione causa superveniat, ut si fera evaserit capientis custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit, ipsius esse desinit, & rursus occupantis fit l. 3. §. 2. ff. d. acqu. rer. dom. Harprecht. in comment. ad §. 12. Inst. d. r. d. n. 64. ubi ait: natura omnium animalium hoc exigit, ut earum possessione ademptã, ademptum amissumque dominium dicamus, propterea quod statim atque possessione nostrã abscesserunt, omnibus pateant jure gentium. Ex quo alii inferunt à simili: si captivus ducatur per alienum territorium, & ibi evadat, eum de novo capi à ducente non posse, postquam se in libertatem recepisset Reinking. d. regim. secul. & eccles. lib. 2. class. 2. c. ult. n. 121. ubi tamen dubitat. Quando autem quis vulneravit bestiam, ut capi haud difficulter possit, protinus eam facit suam, sed tum demùm fit vulnerantis, si omnino illam caperit, suamque in potestatem redegerit, quia novã causã accidere potest, ut bestiam etiam lethaliter vulnera-

*Occupata
fera in do-
minio ma-
net, donec
custodiã
contineat-
ur.*

neratam quis non capiat §. 13. *Inst. d. rer. divis. l. 5. §. 1. ff. d. acq. rer. dom.* vid. tamen D. Strauch. *diss. 6. aph. 28.*

THES. II. *Captivitate* seu occupatione rei hostilis in bello *Captivitate.* justo acquiritur dominium §. 17. *Inst. d. r. d.* Nova tamen accedente causa, ut si res ab hostibus capta mox deinde recuperetur, in statum pristinum restituitur, quod jure postliminii dicitur fieri; nam quod bello amisimus, aut etiam intra bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimus postliminiò recepisse; idque naturali æquitate introductum est, ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines suos rediisset, pristinum jus suum reciperet.

THES. III. *Inventione* res nostræ fiunt, §. 18 & 39. *Inventione.* *Inst. d. rer. divis.* modò res sit communis, neque casu fortean amissa; si enim apparet rem casu amissam esse, restituenda est suo domino l. 43. §. 11. *ff. d. furt.* Secus si fecerit, voluntas illa malitiosa jam in foro poli furem eundem efficit, *arg. l. 42. ff. d. V. S. l. 46. §. 7. & 8. ff. d. furt.* sed & in foro soli, si latentem animum ulterius per facta non denudaverit d. l. 43. §. 11. modò rem amissam esse credat, licet nesciat cujus sit d. l. 43. §. 4. vid. *l. ult. C. unde vi.* vel licet in littore expulsas à mari inveniat *arg. l. 7. ff. pro derel.* Thesaurum inventum quod attinet, ille pro dimidia parte est inventoris, modò casu fortuito reperiatur l. un. *C. d. thesaur. §. 40. inst. d. rer. divis.* Si verò nova causa interveniat, ut si Dominus fundi ab inventore puta mercenario thesaurum statim accipiat, isque ad aliquod tempus contentus sit exiguo honorario, v. g. novo vestimento, postea panitere integramque dimidiam partem jure sibi debitam petere nequit, quia nova causa supervenit, ita ut mercenarius honorarium accipiens tacitè juri suo renunciasset, & sic tacitum quasi pactum iniisse videatur; neque ignorantiam poterit prætere, quod sc. nesciverit, dimidiam thesauri partem ad se spectare: Hæc enim ignorantia quia juris est, noviter acquirere volenti maximè nocet l. 7. l. 9. *d. jur. & fact. ignor.* D. Heinr. Balth. Roth. Jctus & Antecessor in hac Salana excellentissimus *in eleganti dissert. sua inaugural. d. pœnitentia & voluntat. mutation. c. 12. n. 4.*

D

THES.



Accessione
naturali.

THES. IV. *Accessio*, qui vel naturalis est vel industriali, est modus acquirendi dominium. Ad illam inter reliqua pertinet *Alluvio*, quæ est incrementum latens seu occultatum, quo paulatim quid ita adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoque temporis momento adjiciatur, §. 20. *Inst. d. rer. div.* Si verò vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit, palàm est, eam tuam permanere §. 21. *Inst. eod.* Si verò taciturnitas tanquam nova causa superveniat, ita ut si longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque, quas secum traxit, in eo fundo radices egerint, ex eo tempore videtur vicini fundo acquisita esse *d. l. 7. §. 7.* Alveus derelictus eorum est, qui prope ripam ejus prædia possident: pro modo scilicet latitudinis cujusq; agri, qui prope ripam sit §. 23. *Inst. d. rer. div. §. 1. 7. §. 5. ff. d. acq. r. d.* Quod si verò nova causa superveniat, ut si post ali- quod tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen, novus alveus non prioribus dominis redditur, quorum agros absumserat, sed rursus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia possident *d. §. 23.* quia mutatâ formâ, quæ dat esse rei, substantia rei interire dicitur *l. 9. §. 3. in fin. ff. ad exhib.* Hæc tamen de rigore juris, non autem de æquitate procedere volunt vid. D. Struve *synt. agm. jur. civil. exerc. 41. rh. 32.* D. Strauch. *dissert. 6. aph. 44.* Possessor rei alienæ omnes fructus ex ea percipit, tam naturales quàm industriales §. 25. *Inst. d. rer. div. l. 48. ff. d. acq. rer. dom.* modò bona fide possideat; Si enim mala fides, h. e. scientia rei alienæ superveniat, non solum fundum, sed etiam fructus, quamvis consumti sint, restituere tenetur *d. §. 35. in fin.*

Accessione
industriali.

THES. V. Ad industrialem pertinet *Inædificatio*, de qua regula generalis est: omne, quod solo inædificatur solo cedit §. 29. *Inst. d. rer. div.* Cùm igitur in suo solo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipse intelligitur Dominus ædificiû. Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuerat, desinit Dominus ejus esse; sed tantisper, stante sc. ædificiò neq; vindicare eam potest, neq; ad exhibendum de ea re agere propter legem XII. tabb. quâ cavetur, ne quis tignum alienum ædibus mere

fuis junctum eximere cogatur d. §. 29. Quando vero nova supervenit causa, ut si ædificium solvatur, res vindicari potest, propter eandem L. XII. tabb. quæ ita habet: *Tigna quandoque sarpta, donec dempta erunt, vindicato.* Nam ita deficit impedimentum, junctura sc. res civiliter extincta arg. §. 26. d. r. d. & rursus reviviscit; ac materia ista veterem ædificii formam deposuit, novamq; quasi accepit, ut dominus in materiam possit jus suum iterum exercere.

THESES. VI. Quando duorum dominorum materiarum *Confusione.* liquidæ aut liquefactæ invicem miscentur, dicitur *confusio*, quo casu corpus ex tali confusione ortum utrique domino est commune pro rata scil. ejus materiarum, quæ cujusque ante confusionem fuit l. 3. §. ult. d. rei vind. Quando verò aqua chrysulca quis utitur, cujus vi artifices hodie quodlibet metallum confusum sejungere possunt, tanquam propter novam causam cessat communio D. Struve *synt. jur. civ. exerc. 41. aph. 42.*

THESES. VII. *Traditione* acquiritur dominium, ita ut hoc ejus effectus primarius sit statuendus per l. 20. C. d. pact. l. 2. C. stellionat. Verùm quando quis non habuit plenum dominium, & nova causa accedit, regula locum habet: resoluta jure dantis, resolvitur & jus accipientis l. 31. ff. d. pignor. l. 9. §. 1. ff. loc. cond. Sicuti subinfeudatio rata tantum est vivo vasallo, qui alium de suo feudo investivit; Mortuo verò illo, agnatis, ad quos feudum devolvitur, permittitur feudum ab illo, qui de eo investitus est, repetere, nulla exceptione obstante, *Feudistarum comm. in c. 1. §. sed & res per quos fiat investit.*

THESES. VIII. Et generaliter de dominii acquisitione dicendum est: rem tamdiu manere penes acquirentem, quamdiu animi mutatio, quæ pro nova causa habenda est, non accedit; possum enim repudiare id quod mihi acquisitum est; & quando rem pro derelicto habeo, dum id, quod antea in numero mearum rerum esse volo, abjicio & earum numero esse nolo, desinet meum esse §. 46. *Inst. d. rer. div.* Sic potest Vasallus resutare feudum, seu jus illud quod habet, Do-

mino concedere, quo casu non tenebitur ulterius, cum non tam ob personam quam propter rem obligatus sit; non tamen dominum offendere debet, cum maneant etiam post feudum juris adhuc dominici nonnullæ reliquæ 2. f. 38. & ibi Gloss.

CAPUT VI DE NOVA CAUSA IN SERVITUTIBUS.

THES. I.

*Dominus
alteri tacite
concedere
potest jus in
re sua.*

Dominus tacite concedere videtur jus alteri, quando patitur neque contradicit hunc vel illum uti servitute, modò in eadem voluntate maneat; quando verò nova intervenit causa, ut ipsum pœniteat, potest prohibere, ne alius amplius utatur *l. 2. C. d. servit. & aqu. Castillo tract. d. usufr. c. 12.* modò tempus legitimum non sit completum.

*Servitus in
veritu rei
extingui-
tur.*

THES. II. Dominus non potest prohibere alterum, qui servitute sibi competentem exercet; Ast si nova causa supervenit, extinguitur servitus, ut si res vel incendio, terræ motu, aut chasmate *l. 15. §. 2. ff. locat.* inundatione *l. 30. §. 3. ff. d. acq. vel am. poss.* vel belli calamitate, quâ nempe prædia ab hostibus occupata sunt *l. 12. §. fin. ff. d. reb. auth. judic. possid. perit*, quia servitus est jus prædio inhærens, quo sublato & ipsam servitute perire necesse est *l. 14. ff. quemadm. serv. amitt.* Si verò res restitui potest, & revera restituitur, nova ista causa existente ipsa servitus restituta videtur, modò tantum temporis non præterierit, quo servitus amitti solet *d. l. 14. unct. l. 23. & 24. quib. mod. usufr. amitt.*

*Resolvitur
conditione
existente.*

THES. III. Quando alicui fundus fuisset legatus sub conditione, interim verò hæres servitute imposuerit, hæc vero existat, servitus resolvitur, *l. 1. §. 1. ff. quemadm. servit. amitt.* resolutio enim jure concedentis, resolvitur jus accipientis *arg. l. 115. ff. d. condit. & demonstr.*

THES.

THESES. IV. Si is, cui servitus debetur, in locum, per *Remissione.*
quem debetur, ædificari, vel aliud quid fieri permiserit, quod
servitutis usus impediatur, ob hoc novum emergens remissa
censetur servitus *l. 8. pr. ff. quib. mod. servit. amitt. l. 17. in fin.*
ff. commun. præd. Vel si quis neque per se, neque per alium
decem annis inter præsentem, viginti inter absentes servitu-
te usus fuerit *l. pen. C. d. serv. & aqu.* si verò servitutis usus
alternis mensibus, aut annis, vel uno die per quinquennium
conceditur, tempus duplicatur, ita ut viginti annis inter
præsentem & absentes amittatur *l. 7. quemadmod. serv. amitt. l.*
fin. C. d. servit. & aqu.

THESES. V. Nova causa est, ob quam amittitur servi- *Confusione.*
tus, quando dominus utriusque prædii tam servientis quam
dominantis idem in solidum fit *l. 1. ff. quemadm. serv. amitt.* quia
causa ita incipit esse, ut res sua nemini serviat *l. 10. ff. commun.*
præd. l. 1. ff. quemadm. servit. amitt. Ubi tamen causa super-
venire potest, ut licet summo jure servitus per aditionem he-
reditatis sit confusa, eadem tamen iterum ex singulari æqui-
tatis ratione restituatur: veluti, si heres hereditatem, quam
adiit, vendiderit, tunc enim, quia emtor vicem heredis obti-
net *l. 1. §. 18. ff. d. hered. vel act. vend.* & per eam venditionem
id agitur, ut quasi emtor heres extitisse videatur *l. 9. C. comm.*
præd. venditor adversus emtorem experiri potest, ut servitus
confusa restituatur *d. l. 2. §. pen. d. hered. vel act. vend.* Pariter
restauratur semel confusa servitus, si hereditas per inofficiosi
querelam est evicta, tum enim omnia perinde observantur,
ac si hereditas nunquam adita fuisset, adeoque heredi victo
omnia sua pristina jura salva manent *l. 21. §. f. ff. l. 22. C. d.*
inoff. testam.

THESES. VI. Nova causa est, si usufructus venditur *Consolida-*
propriario, tunc quia utrumque jus in unum idemq; con- *tur per ven-*
currit subjectum, servitus confunditur, & per confusionem *ditionem.*
extinguitur *l. 10. ff. commun. præd. l. 30. ff. d. servit. urb. præd.* &
hoc in tantum procedit, ut tunc locus non sit retractui usus-
fructus, quia non amplius est in rerum natura, sed suppressus
atque extinctus usufructus per consolidationem *§. finitur*

Inst. d. usufr. Lui ergò ususfructus eo modo confusus à con-
sanguineo non potest; extincto enim usufructu nihil est quod
retrahi possit, sed quasi re perempta emtor liberatur à statuti
necessitate, per *l. quod te §. ff. d. reb. cred.*

*Fundus
communi
prædio ser-
viens.*

THESES. VII. Fundus communi prædio serviens à so-
ciis redemptus & in commune redactus, novam causam ac-
cipit, ut servitus confusa censeatur, *l. 27. ff. d. serv. præd. rust.*
quia par utriusque domini jus in utroque fundo esse incipit.
Aliud est, si prædia, quæ sibi mutuo serviebant, communicen-
tur, tunc enim servitus manet *Brunnem. ad d. l. 27.*

*Ob novi o-
peris nunci-
ationem
cessare debet
struens.*

THESES. VIII. Equidem quilibet potest in suo fundo
facere, prout lubet *l. 1. §. item ajunt aquam ff. d. aqu. plu. arc.*
usque adeo ut liceat etiam alicui re sua abuti *l. sed si lege §.*
consuluit ff. d. petit. hered. Quando verò alter servitutem vel
jus aliquod præ tendit, nunciare potest, *l. un. §. 3. d. remiss. l. 5.*
§. 9. & 10. d. nov. oper. nunc. Ut propter novum illud emer-
gens struens vel moliens opus cessare debeat ab eo *arg. l. 20.*
pr. junct. §. 1. l. 5. & 15. l. 3. §. 4. d. nov. op. nunc. Quæ tamen nun-
ciatio solvitur, quando remittitur, vel pacto ipsius nuncian-
tis *l. 1. §. 10 d. t. vel à præ tore præ via causæ cognitione & præ-*
stita satisfactione l. un. §. 2. d. remiss. Potest tamen nova do-
minii vel servitutis causa intervenire *d. l. un. §. 3.* Si enim
dominium mutatur, deficit hoc jus, quod erat causa, & conse-
quenter res incidit in illum statum, ex quo incipere non po-
tuisset, & sic evanescit nunciatio, vid. supra th. 5. Accidit quo-
que illa dominii mutatio morte vel alienatione *l. 8. §. 6. Mor-*
te sc. nunciantis, per textum expressum in l. 8. §. ult. d. nov. op.
nunc. etiam si pro heredibus facta sit nunciatio, cum nuncia-
tio ista juris publici dispositione personalis sit, at in præjudi-
cium juris istius cautelæ privatorum non valeant *arg. l. 28. pr.*
ff. d. pact. l. 38. eod. l. 5. C. d. legib. Alienatio verò ista intelli-
gitur, quæ plenam dominii mutationem inducit seu saltem
illius juris, quod ad nunciandum aptum est, sive talem, quæ
finiatur ius prohibendi *arg. d. l. 8. §. 6. d. op. nov. nunc.*

*Pecunia pro
venationi-*

THESES. IX. Servitutibus annumerari possunt
etiam alia iura & servitia; ad quæ pertinent illa venatoria
Prin-

Principibus ipsive, qui ius venandi habet, debita; Ubi fieri potest, ut Dominus cui debentur, propter indigentiam ferarum nullas venationes instituat, & interim certam pecuniam summam accipiat, (quod vocant Jagtgeld) Nova tamen postmodum causa orta, ut si copia ferarum sese exerat, venationes earum rursus institui possint, tunc tenentur adhuc subditi servitia pro more antiquo & veteri præstare; non enim eâ ratione omisit venationes Princeps, ut sumat pecuniam, sed quia nullæ adfuere feræ: His se rursus sistentibus cessat quoque dicta ratio, ac propterea adhuc servitia de iure non possunt denegare subditi domino. D. Roth. cit. loc. c. 15. numero 9.

CAPUT VII

DE

NOVA CAUSA

IN

POSSESSIONE.

THESES. I.

Possessor in possessione sua per iuris & iudicis auxilium defendendus est contra omnes turbationes l. 1. ff. uti possid. & qualiscunque possessor hoc ipso, quod possidet plus iuris habet, quam qui non possidet l. 2. ff. eod. adeo ut qui titulum possessionis nullum allegat, interdicto uti possidetis gaudeat §. retinenda Inst. d. interdict. Hoc tamen fallit, si nova causa supervenit, unde apparet possessorem rem alienam possidere, quam sine voluntate domini possidere non potest Gloss. in l. 2. C. d. jur. emphyt.

THESES. II. Nova quoque causa est, ob quam possessio amittitur, quando flumen vel mare fundum occupavit seu inundavit l. 3. §. 17. ff. d. acqu. vel amitt. poss. vel quando quid in aliam speciem translatum est, veluti ex lanâ nostrâ confectum ab alio est vestimentum d. l. 30. §. 4. vel servus manu-

*Possessor in
sua possessio-
ne defen-
dendus est,
nisi nova
causa su-
perveniat.*

*Quenam sit
nova causa,
ob quam
possessio
amittitur.*

mittitur d. l. 30. §. 4. vel possessio negligitur l. 40. §. 1. ff. eod. vel res fit sacra, vel locus religiosus d. l. 30. §. 1. vel res pro derelicta habetur l. 1. pro derelicto, vel ex secundo decreto in nostram possessionem quis missus est d. l. 30. §. 2. vel quis se arrogandum dedit, ubi arrogator possidet l. 16. d. precar.

*Interruptio
prescriptionis
N. C. est.*

mittitur d. l. 30. §. 4. vel possessio negligitur l. 40. §. 1. ff. eod. vel res fit sacra, vel locus religiosus d. l. 30. §. 1. vel res pro derelicta habetur l. 1. pro derelicto, vel ex secundo decreto in nostram possessionem quis missus est d. l. 30. §. 2. vel quis se arrogandum dedit, ubi arrogator possidet l. 16. d. precar.

THESES. III. Nova causa est, si possessionis, quæ facultatem usucapiendi præbet, interruptio fit, quæ contingit vel naturaliter, quatenus possessio aliquo naturali facto & re ipsa, non fictione interruptitur l. universa. §. 1. d. acqui. poss. ut cum possessori res ab alio mobilis auferatur immobilis occupatur l. 5. d. usurpat. & usucap. vel Civiliter, per actum civilem, puta litis contestationem, Welenb. ad tit. d. usurpat. n. 15. Ubi igitur ante completum usucapioni destinatum tempus lis movetur bonæ fidei possessori, ita ut in mala fide quovis modo constituatur, evanescit æquitas exceptionis, quod tempus completum non esset l. more C. d. rei vindic.

*Citatione
interrump.
prescriptio.*

THESES. IV. Citatione tanquam nova causa interruptitur possessio & interpellatur usucapio, quando reus iudicis autoritate petente actore litis suscipiendæ causa in locum iudicii ad diem certum comparere iubetur D. Struv. exerc. 5. th. 8. vel si parte præsentem in iudicio instrumenti productio fiat, quia tantum operatur præsentia partis, quantum citatio l. 29. §. fin. ff. d. minor, quippe etiam in præsentem facta à iudice denunciatio pro citatione habetur Perez. ad tit. C. d. in jus voc. n. 8. etsi citatio sit unica & non peremptoria, dummodo sit legitime facta, secundum Angel. in l. 68. ff. d. iud. etsi fiat à iudice incompetenti, quando competentis copia haberi nequit l. 17. ff. d. tut. & cur. dat. ab his. etsi malè formatus sit libellus Bartol. in l. accusatus ff. d. adult. vel quando colonus conventus in iudicio dominum nominat, & domino litem denunciat iudicis autoritate, quia hæc non aliter ac citatio interrumpit Bald. in l. 2. C. ubi in rem act. procedit quoque interruptio ista per missionem ex primo decreto Felin. in c. illud X. d. prescript. Plures modos, quibus citationis instar præscriptio interrumpitur, notat Glossa in l. cum notissimi §. sed & si quis C. d. prescr. 30. vel 40. ann.

(THESES)



THESES. V. Quamvis extra iudicium per denunciationem
privatam regulariter non interruptitur prescriptio; Sunt *Etiā ex-*
tamen casus in iure expressi, quibus eiusmodi denunciatio *trajudicia-*
effectum habet interruptendi, uti est *in l. 17. C. d. rei vindic. sc. lis denunci-*
si dominus fundi denunciaverit emptori ne eum emat ab a- *atio inter-*
lio, eò quod non habeat potestatem distrahendi; hæc denun- *rumpit præ-*
ciatio facit, ut emptor constituatur in mala fide & teneatur ad *scriptio-*
fructus restituendos, addantur casus *in l. 2. C. d. annal. except. nem.*
& *in l. 20. §. 11. l. 25. §. 7. d. petit. hered. l. 2. C. d. serv.* Jure Ca-
nonico omnis interpellatio quæ malam fidem inducit præ-
scriptionem interruptit Heig. 1. qu. 16. n. 63.

THESES. VI. Ponamus: Principem civitati cuidam
jus eligendi Magistratum concessisse, v. g. Consules, Senato- *Num Prin-*
res, Quatuor viros, &c. Jam verò Principem velle, ut sua au- *ceps Sena-*
thoritate alius sit Senator. Q. num hæc nova causa turbare *torem con-*
videatur civitatem? Negat. vid. Coler. d. process. execut. p. 2. *stituere pos-*
c. 3. n. 343. nisi obstat legitima prescriptio, vel expressa con- *sit absque*
cessio, ut sola habeat civitas. *turbatione*

THESES. VII. Nova turbatae possessionis causa est, *possessionis.*
quando quis alterius possessionem ingreditur ex decreto in-
valido; quia concessum fuit à iudice non competente, vel *Nova tur-*
altera parte non citatâ: ignorans, iudicem non esse compe- *batae pos-*
tentem, vel de jure requiri, ut altera pars citetur, adeoque *sessionis cau-*
decretum esse invalidum, quoniam id scire debuit, & naturali *sapropo- ni-*
ratione potuit *menoch. remed. recup. poss. 3. n. 474.* Similiter affe- *tur.*
ctus iste spoliandi etiam indirectè est in spoliare jubente *l. 1.*
§. 12. ff. d. vi & vi arm. mandante l. 3. §. 10. 12. eod. ratum ha-
bente *l. 1. §. 14. d. 1. consultore qui impellit & instruit arg. l.*
50. §. 1. 3. ff. d. furt. conducente arg. l. 11 ff. d. injur. opem &
auxilium ferente arg. l. 54. §. 4. d. furt.

THESES. VIII. Domini negligentia quandoque no- *Domini ne-*
vam inducit causam, ut eidem à colono vel procuratore pos- *gligentia in-*
sessio subvertatur, si post denegatam causam possidendi lon- *tervertit*
go tempore colonus rem possideat; modò id ab eo fiat bonâ *possessionem.*
fide, cum ad se rem pertinere crederet. Itaque quis potest in casu
exactionis pensionum vel fructuum possessionem amittere, si
post denegationem solutionis, censum exigere solitus, per
decennium taceat *Puteus libr. 1. dec. 276. n. 1.* E CA-

CAPUT VIII

DE NOVA CAUSA

IN ULTIMIS VOLUNTATIBUS,

THESES. I.

*Nova est
causa qua
testamen-
tum non va-
let, quando
rumpitur.*

Ultimas hominum voluntates & sententiae servantur atque ilibatae manent, donec nova superveniat causa. Talis autem est, quando testamentum vel rumpitur, vel irritum constituitur *l. 1. ff. d. injust. rupt. irrit. fact. test.* Rumpitur, cum scilicet in eodem statu manente testatore in ipsum testamentum vitium incurrit *§. 1. Inst. quib. m. testam.* quod ita, licet constiterit ab initio, incipit esse pro non jure factio, & quidem vel per agnationem sui heredis *§. 1. Inst. d. exhered. liber.* vel quasi agnationem *§. 1. Inst. quib. mod. testam. infirm.* **Württemberg. Landrecht part. 3. tit. 20. §. ferner wenn denn.** Si enim post testamentum factum testatori nascatur posthumus, idemque suus haeres, aut ipse arroget aliquem, qui sit sui juris, vel adoptet aliquem, qui alterius potestati subjaceat, & fiat suus haeres, rumpitur quidem testamentum jure veteri *ad. §. 1. 3. 4. 5. & 8. ff. d. injust. rupt. irrit. fact. jure vero novo testamentum, in quo posthumus praeteritus est ipso jure statim ab initio nullum est, nec rptione indiget Harprecht. ad §. 1. n. 8. cum posthumi hodierno jure non secus ac filii directi sint vel instituendi, vel nominatim exheredandi §. sed haec quidem §. Inst. d. exhered. lib. 1. 4. §. sancimus C. de liber. prater.*

*Testamento
posteriore
factorum
pitur prius.*

THESES II. Nova causa est, quando testamento posteriore, quod jure perfectum est, superius rumpitur *§. 2. Inst. d. t. l. 2. ff. d. inst. rupt.* quoniam in testamento de universis bonis disponitur, quae universitas cum non nisi una intelligi possit, non possunt unius hominis plura esse testamenta; & ex pluribus standum est posteriori, utpote quo solo ultima

& fir-

mior voluntas defuncti de universitate seu hereditate continetur, cum ipsa natura voluntatem homini usque ad mortem ambulatoriam & liberam concesserit *l. 4. d. adim. vel transf. legat.* quamvis testamentum sit iudiciale h. e. apud acta iudicii confectum; licet enim auctoritas iudicis magna sit, vim tamen immutabilitatis huic testamento non addit, nec facultatem mutandi excludit *arg. l. 19. C. d. testam. ibi: ita demum firmum sit, si ultimum comprobetur, nec contra iudicium suum defunctus postea venisse detegatur.* Imò licet testamento clausula derogatoria sit addita, ea tamen non obstante infirmatur mutata voluntate Hieronym. Panschman. *lib. 2. qu. 18. n. 5. in fin.* & hæc in tantum procedunt, ut ne quidem sub iuramento testator revocationi prioris testamenti renunciare possit, quia iuramentum est privata conventio, per quam nemo seipsum testamenti facitione, quæ iuris publici est, exuere potest, *l. 55. ff. d. legat.* Et talis revocatio locum quoque habet in testamentis coniugum reciprocis, & ita pronunciarunt Dnn. Scabini Jenenses anno 1616 ad consultat: *H. S. Erben zu Stadt Jlm* verbis: Ob nun gleich nach Absterben des Testatoris dessen Witbe das ganze Testament in disputat zuziehen und zuvernichten daher vermeinet / daß sie zu solcher veränderten disposition sich gegen einen E. Rath / wie bey der ersten geschchen / nicht erkandt / oder bey dero Hinterlegung persöhnlich gewesen / so ist doch dieses Vorwendens ungehindert / die veränderte testamentirliche Verordnung auf des Testatoris Seiten und so viel dessen eigene Güter betrifft / aldiweil Er so ferne seinen letzten willen seines gesfallens nach zu declariren / und vorigen Orts auch ohne seines Weibes beyseyn zu disponiren wohl befugt / zu recht beständig *B. R. B.* Non autem nuda voluntatis declaratio testatoris ad revocandum testamentum sufficit, §. 7. *Inst. d. t. l. 27. C. d. testam.* sed alio testamento iure perfecto §. 2. *Inst. d. t. vel alia æque solenni, quæ aliàs in ritè conficiendis testamentis requiritur, dispositione cassatoriâ interveniente l. 19. C. d. testam.* Carpzov. *lib. 6. resp. 4. n. 14.* Recte etiam revocatur testamentum *coram tribus testibus*, si nimirum testator in

ipforum præsentia dixerit, se nolle testamentum valere, & a tempore testamenti conditi vivo testatore integrum decennium defluxerit *l. 27. ibique Glossa n. 15. & Brunnem. C. d. testam. Carpz. p. 3. c. 3. d. 41. n. 2. & lib. 6. resp. 6. n. 2. & resp. 17. Richter. decis. 54. n. 14.* Jure Württembergico sufficit nuda quoque verbalis revocatio coram iudice, vel quatuor honestis viris facta Würtberg. Landr. p. 3. tit. 20. §. So dann einer. Sic etiam Finckelthaus *observ. 39. n. 17.* scribit: In terris Saxoniz quoque sufficere revocationem verbalem coram Notario & Testibus factam, licet decennium non sit præterlapsum.

Testamen-
tum cancel-
latum
rumpitur.

THESES. III. Contraria quoque declaratur voluntas & nova causa est, ut ruptum sit testamentum, quando ipsum testamentum cancellatur, inciditur, scriptura inducitur, sigilla amoveantur & turbantur, modò hæc omnia consultò fiant; hæc enim consultata cancellatio sufficiens index & signum reputatur pœnitentiæ & voluntatis mutatae atque revocatae *l. 1. §. 8. ff. und. liber. l. 16. ff. d. adim. leg. ubi Paulus JCtus: nihil interesse, respondet, inducatur quod scriptum, an adimatur.* Etiam si illa sit informis, & nulla ejusdem causa sit addita & adscripta *arg. l. 1. §. ult. ff. d. his que in testam. delent.* ipsaque cancellata adhuc legi possint, tamen censentur infirmata *arg. l. pen. C. d. testam.* Bachov. *ad Treuil. vol. 2. diff. 10. th. B.* Quando verò post cancellationem factam testator contrariam voluntatem, quod scilicet etiam cancellata valere velit, declarat, tunc ex cancellata dispositione relicta efficaciter peti possunt *arg. l. 3. §. ult. junct. l. 4. ff. d. adim. legat.* Anton. Fab. *decad. 39. error. 9.* Idem est si testator ante testamenti consummationem consultò cancellavit scripturam, quæ ultimam ejusdem continet voluntatem, & postea eandem coram testibus specialiter rogatis produxit, in eaque suam ultimam voluntatem contineri dixit, simulque ut subscriberent, & subsignarent, eosdem rogavit, cancellatio pro non facta habenda est, & totum testamentum valet; ubicunque enim constat, quod testator in testamento suo etiam cancellata valere voluit, cancellatio ejus dispo-

dispositioni nihil detrahit *arg. l. 2. ff. d. his que in testam. delent.*

THESES. IV. Quando non totalis reperitur cancellatio, sed partialis consultò facta; utpote si testator nomina testium induxerit, totum testamentum equè, ac si totum cancellatum fuerit, infirmatur, & hereditas ab intestato venientibus defertur *arg. l. pen. C. d. testam.* Si heredum & quidem omnium institutiones consultò sint cancellatæ, testamentum infirmatur *l. 3. ff. d. his que in testam. delent.* Si non omnium, sed unius, vel quorundam heredum nomina sunt inducta, tunc illorum institutiones infirmantur *l. 2. ff. d. his que in testam. del.* reliqua verò testamenti capita sine dubio manent valida *d. l. 4.* cancellatorum verò portiones, si non tanquam indignis ademptæ, vel jure accrescendi cedunt coheredibus *d. l. 2.* Mantica *d. conjectur. ult. volunt. lib. 12. tit. 1. n. 31. in fin.* vel debetur substitutis, si illis aliqui dati *d. l. 2.* legata & fideicommissa verò si tantum fuerint cancellata, legatariis & fideicommissariis tantum actiones denegantur *l. 1. §. 3. ff. d. his que in testam. del.* Si post testamenti consummationem inconsultò, h. e. citra testatoris voluntatem illud fuerit vel in totum vel pro parte cancellatum, totum subsistit testamentum *l. 1. §. 5. ff. d. his que in testam. arg. l. 30. C. d. testam.* Si verò expressè non constet, an consultò an inconsultò facta sit cancellatio, pro inconsulta præsumendum est, quia uti nemo præsumitur aliquid loqui quod non sentiat *l. 7. §. fin. ff. d. supell. leg.* ita etiam nemo præsumitur aliquid fecisse, quod non voluerit Sichard. *ad l. 30. n. 2. C. d. testam.* unde qui contrarium dicit, probare debet, id quod deletum est, incautè & casu factum esse D. Richter. *ad l. 12. C. d. testam. n. 69.*

THESES. V. Irritum fit testamentum, quoties extra ipsius testamenti jus ipsi testatori nova causa contingit, puta si condito prius testamento patiatur capitis diminutionem non tantum maximam & mediam, §. 4. *Inst. d. r. l. 6. §. 5. ff. d. p. suis testam. in iust. rupt. & irrit. testam.* Non enim fieri potest testamentum ab eo, qui sui juris & civis Romanus esse desiit, *l. 16. ff. qui testatori a testam. fac. poss. l. 1. C. d. hered. instit.* verum etiam minimam liquidum con-

Quid si non totalis reperitur cancellatio.

Irritum fit testamentum quando extra ipsius testamenti jus



capitis diminutionem, dando scilicet in arrogationem, per quam homo sui juris in alienum transit jus & familiam, atque sic res in eum casum devenit, à quo initium capere non potest *l. ii. §. 2. ff. d. bon. poss. secund. tab.*

Quando testamentum destituitur.

THESES. VI. Nova causa est, ob quam irritum fit testamentum ex persona heredis, hereditate non aditâ *l. 1. in fin. ff. d. injust. rupt.* quando nempe ex testamento quod ab initio jure, rite & legitimè secundum regulas juris testamentarias factum est *pr. Inst. quib. mod. testam. infirm.* nemo heres existit *§. 7. Inst. d. hered. qua. ab intest. def.* & tale testamentum, ex quo nemo heres existit, dicitur *destitutum*, sive heres institutus heres esse noluit, & hereditatem repudiavit, vel abstinuit; sive heres existere non potuit *§. 7. Inst. d. hered. qua. ab intest. def.* quod contingit, si vivo adhuc testatore, vel post mortem ejus, ante tamen hereditatis aditionem, decessit, neque hereditatem illam ad alios transmisit *§. 2. Inst. quib. mod. testam. infirm.* vel conditio, sub qua institutus, defecit *d. §. 2. ibique Vinn. & per destitutionem istam totum infirmatur testamentum & per omnia irritum redditur l. 20. pr. ff. d. bonor. poss. ita ut nullas vires habeat §. 2. in fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* atque hinc hereditate testamento non aditâ cesset officium testamenti executorum Seraph. Oliphar, Razzal. *decis. 943. n. 6.* ruente enim fundamento & capite totius testamenti, heredis scilicet institutione, etiam tota vis seu moles & compages testamenti ruit, destitutoque eo cætera in spongiam incumbant, necesse est. Legata quoque & fideicommissa particularia in testamento destituto relicta cum suo principali corruunt *§. 2. Inst. d. leg. falcid. Carpz. p. 3. c. 2. def. ult.* nisi sint ab intestato repetita, & ab intestato quoque venientes illa præstare rogati fuerint *l. 29. C. d. fideicommiss.* vel testamento destituto clausula salutaris: *omni meliori modo,* vel codicillaris reperiatur addita *arg. l. ult. §. 1. C. d. Codicill.* vel sint legata & fideicommissa ad pias causas relicta in destituto testamento, Donell. *ad l. 14. C. d. fideicommiss. n. 12.* vel si institutus heres dolo malo in fraudem legatariorum & fideicommissariorum omisit hereditatem ex testamento adire, tunc

tunc Prator suo edicto legatariis & fideicommissariis succurrit l. 1. § 1. ff. § C. si quis omiss. caus. testam. vel si neque ex testamento, neque ab intestato hereditas est adita, sed fiscus defuncti bona jure regalium, tanquam vacantia occupavit, legata & fideic. in testamento destituta relicta à fisco præstanda & solvenda esse volunt per l. 96. §. 1. d. legat. 1. l. 14. ff. d. jur. fisc.

THESES. VII. Novâ causâ, quæ præter intentionem testatoris accidit, infirmatur testamentum, quod alias per se validum est, quando imploratur officium judicis, ut testamento rescisso, res ad causam intestati reducatur, hereditasque scripto heredi auferatur, & adjudicetur actori, tanquam proximo heredi ab intestato; quæ actio vocatur querela inofficiosi testamenti, quæ certis personis immeritò exhereditatis vel non ex officio pietatis præteritis datur l. 3. ff. d. inoff. testam. de qua videantur DD. ad tit. ff. § C. d. inoff. testam.

THESES. VIII. Quò minus Codicillis, in quibus initialis quidem firmitas adest, ex dispositione juris ad exitum perducantur, ex post facto quid supervenire potest, quod eorum subsistentiam & effectum impedit atque infringit; si nimirum Codicillans coram quinque testibus vel apud acta firmiter testetur, se à priori voluntate, quam in Codicillis præcedaneis aperuerat, recessisse, adeoque dicat, se nolle disposita in illis valere, quia certis de causis animi sententiam mutavit. Non aliter tamen hodie revocantur Codicilli, quam si apud acta, vel quinque testes contraria mens explicata, de quæ ea disertè protestatum fuerit Menoch. 1. presunt. 51. n. 1. Bocer. class. 1. disput. 6. th. 49. lit. a. Vel si codicillos diverso tempore dissonâ voluntate quis ordinat; tunc prior dispositio discrepans, & contrariam à posteriore voluntatem continens, revocatur l. 3. C. d. Codicill.

THESES. IX. Nova causa est, ob quam infirmantur Codicilli, si disponens vel ab hostibus in bello legitimo captus l. 1. in pr. ff. d. legat. 3. arg. l. si quis 6. §. irritum 5. ff. d. infirmantur test. irrit. fact. testam. l. 2. ff. d. legat. 1. Vel sese venundari passus,

kus, vel arrogatus fuerit; hisce & similibus casibus, quia res eò devenit, unde incipere non potest, Codicilli pariter infringuntur. Quod si tamen causa infirmationis vivo testatore fuerit rursus semota, & sic denuo nova causa supervenerit, ut si arrogatus rursus emancipatus, captivus dimissus, & ad suos postliminiò reversus fuerit, tunc reconvalescunt Codicilli, nec quicquam intermedia status mutatio illis præjudicat *l. 8. §. 3. ff. d. jur. codic. l. 12. §. 2. ff. d. captiv. & postl. revers.*

Fideicommissarius non potest alienare, nisi consentiant ii, quorum interest,

THE S. X. *Fideicommissio* constituto fiducia-rio generaliter prohibita est alienatio, sive omnis actus, per quem res transfertur, prohibitus censetur, ut proinde fideicommissarius non possit transigere *arg. l. 4. C. d. præd. min. nisi consensu eorum, quorum interest rem non alienari l. II. C. d. fideic.* quo casu retractio denegatur, cum remittentibus actiones suas ad eas non detur regressus *l. 14. §. 9. d. edit. e- dict.* Potest verò ad longum tempus locare, locatio enim quancumque etiam temporis in nullam alienationis, quamvis improprie acceptæ speciem cadit *Wesenbec. ff. locat. n. 8.* Et de jure etiam verius est, alienare prohibitum non videri fecisse contra voluntatem testatoris, etiam in longissimum tempus locando *l. 88. §. 15. d. legat. 2.* Neque hoc casu substitutis præjudicium gignitur; quando enim locans è vivis decedit, antequam locationis anni expirarint, proximiores de familia locationi isti stare non tenentur, sed jure fideicommissi à colono fundum avocare possunt; Nova quippe causa novum quæritur remedium, & resoluta jure datoris resolvitur jus accipientis *l. 31. d. pignorib. Sande lib. 4. decis. frificar. 6. def. 2.*

Si capax legati ingrati- tudinem committit.

THE S. XI. Si capax legati mortuo testatore ingrati- tudinem committit, ut si libertus patronum defunctum quasi illicitæ mercis negotiatorem detulerit, propter hanc novam causam amittit illud, & fiscus aufert *l. 1. ff. d. his, que indign. vel si legatum acceperit, postmodum falsum dixerit te- stamentum, æquè amittit l. 5. §. 1. ff. eod. quod intelligit*
Glossa,

Glossa, quasi testatorem criminis falsi accuset; vel dici potest, de eo hoc intelligendum, qui sciens falsum testamentum acceptavit legatum vid. Cujac. *ad d. l. fin.* Idem est si fideicommissarius testamentum falsum dixerit *d. l. fin. §. 6.* vel si testimonio suo eum, qui defunctum accusavit, adjuverit vel fidejussor pro eo extiterit *d. l. §. 10.* aut si legatarius in fraudem heredis celat testamentum, amittit legatum *l. 25. C. d. legat.* qui textus notabilis est, ut quis dicatur reddi indignus, & tamen poena non adjudicetur fisco sed ei, in cujus praedictum tendebat delictum. Similiter legatum tutori relictum, videtur id causa tutelae & remunerandae fidei, & laboris compensandi gratia datum esse; Si tamen a tutela se excusat tutor, tanquam ob novam accedentem causam, illud amittit, *l. 5. §. 2. ff. d. his que ut indign. l. 28. ff. d. excusat.*

THESES. XII. Ob supervenientem inimicitiam capitalem cum defuncto, videtur ex praesumpta testatoris voluntate legatum extinctum *l. 3. §. fin. l. 22. d. adimend. vel transf. legat. l. 9. in pr. §. 1. d. his que ut indign. aufer.* Quid vero, si inimicitia ex culpa testatoris provenerit, an nihilominus legatum revocatum censetur? Negat hoc Card. Tusch. *concl. 148. n. 15.* Verior tamen est affirmativa, tum ob textuum allegatorum in hoc non distinguendum generalitatem, tum ob liberam, etiam sine culpa legatarii, legata revocandi, & sic voluntatem mutandi, leganti in jure competentem facultatem *l. 4. d. adim. legat. Barbof. locuplet. voc. voluntas ax. 35.* Nec ex eo solo, quod non revocaverit, cum revocare potuerit, praesumitur, quod legatum valere voluerit *arg. l. 5. C. fam. ercisc. l. pen. §. 2. d. adim. legat.*

THESES. XIII. Si quis sibi in testamento scribat legatum & postmodum hoc appareat, pro non scripto habetur *l. 1. §. fin. ff. d. his que pro non script. habent.* quo casu etiam in falsi crimen incidit *l. 6. §. seqq. ff. ad L. Cornel. d. sicar. nec refert, an testator legatum id scribi iusserit, nec ne. Nam etsi testatore sciente & volente hoc factum fuerit, legatum irritum habetur, & scriptor tanquam falsarius tenetur *l. filius 4. in pr. §. l. 15. in pr. ff. ad L. Cornel. d. fals. l. 3. C. d. his qui sibi ad-**

F

scripsit

scripsit. quia nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in eo locum habeant l. 55. ff. d. legat. 1. nec valet testatoris voluntas, nisi quatenus legitima est & legibus consentanea l. ult. in fin. C. d. fideicommiss.

Num legitimatus in jure primogenitura preferatur.

THESES. XIV. Ardua quaestio est: Si Princeps habeat concubinam, cum qua filium procreat; postmodum legitimam ducit uxorem natiuitate principem, ex qua similiter filium procreat. Hec moritur, & ducit istam priorem, quam olim tanquam concubinam habuit, uxorem legitimam, & sic legitimat per subsequens matrimonium priorem. Ponamus jam in domo ista vigere jus primogeniturae vel Majoratus, Q. num haec nova causa id operetur, ut mortuo patre legitimatus succedat, tanquam primogenitus, an non filius statim in legitimo matrimonio procreatus sit preferendus? Quamvis intermedium matrimonium non fuerit impedimento legitimationi; pro eo tamen, qui ex principe statim in matrimonio fuit procreatus, facit, quod iste natura & lege prior fuerit, ut duo vincula prius reperiantur in priori legitime nato, ac proinde jure primogeniturae fruatur; & tunc temporis, cum in hanc lucem ederetur, nemo ipsum antecesserit, qui huic juri primogeniturae aptus esset, ut statim in ipso natiuitatis momento sibi hoc jus quaesitum sit, quod per subsequentem legitimationem filii naturalis ei auferri nequit l. 1. ff. d. R. 1. neque legitimatio in praedictum legitimae sobolis retrahi possit Nov. 89. c. 1. vid. Rumelinus ad Auream Bullam dissert. 6. th. 13. Dissidentes vide apud Tiraquell. d. jure primogenit. q. 34. n. 24. & seqq.

Casus.

THESES. XV. Caput hocce claudat Casus: Sejus legavit in testamento suo Mevio 1000. imperiales sub hac conditione si fratris sui (Seji) filiam in matrimonium duxerit. Mevius ducit aliam in uxorem; haec moritur, ac tunc vult Seji cognatam ducere, quaeritur num ducta ista accipiat ab herede 1000? Negat. Quia nova causa intervenit, dum conditionis impletionem semel omisit, ut amplius voluntatem mutandi non habeat facultatem, nec eam poenitens adimplendo hereditatem sibi acquirit, non enim amplius parere conditioni potest, cum semel expleta sit, inquit Ulpianus in l. 13. pr. de manum. testam.

CAPUT

CAPUT IX
DE
NOVA CAUSA
IN
SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO, ATQUE IIS QUÆ TESTAMENTARIIS SUNT COMMUNIA.

THES. I.

Quamvis regula juris sit *in l. 7. ff. d. R. I.* quod nemo *Nova in-* paganus pro parte possit testatus, & pro parte intesta. *terveniente* tus decedere; ex post facto tamen & sic nova inter- *causa potest* veniente causa id fieri potest; uti si quis duos filios habens, *quis pro* unum una cum extraneo quodam heredem institueret, alte. *parte testa-* rum verò filium exheredaret. Postquam hic mortuo patre *ius pro par-* testamentum impugnat atque obtinet, nova causa est, ut *te intestatus* propter rei judicatæ autoritatem testamenti una parte im- *decedere.* pugnata pro parte testatus, pro parte intestatus testator de- cessisse videatur, *l. 24. ff. d. inoffic. testam.* Similis penè casus est *in l. 27. C. eod.* Si quis præterito fratre alios extraneos he- redes instituisset, & inter hos aliquem, qui infamia esset nota- tus, pro hujus parte rescindetur tantum testamentum *Gomez. tom. 1. resol. cap. II. D. Præses ad l. 7. ff. d. R. I. in nota-* bil. 1.

THES. II. Ad causam novam referendum est jus *Jus succes-* alterius loci successuro obstans. Ut si mulier extra Saxoniam *sori obstans.* ubi v. g. Gerada non est in usu degens velit cognata, quæ domicilium habet in terris Saxonix, succedere, uten filia non capiat, seu uten filia vel Gerada ad cognatam illam extra Sa- xoniam degentem non perveniat, sed ad aliam cognatam proximam in Saxonia viventem transferatur *Matth. Coler. decis. 55. n. 2. Berlich. concl. 51. n. 14. Videatur tamen D. Carpz. p. 3. c. 38. d. 6. & 7. & D. Struve tr. d. vindicta privata th. 86.*

*Hereditas
semel adita
ob novam
causam pot
est repudia-
ri.*

THESES. III. Hereditas semel adita regulariter repudiari nequit *l. 4. C. d. repud. vel abstin. hered.* cum per aditionem bona defuncti cum patrimonio heredis confundantur, ita ut non amplius hereditas, sed proprium heredis patrimonium dicantur. Sui tamen heredes quamvis hereditate abstinuerint, possunt voluntatem suam mutare, & tempore deliberandi adhuc ipsis concessio immiscere se hereditati paternæ *l. 8. d. jur. deliber.* Quando verò res adhuc non est integra ut si bona vendita sint per creditores, nova causa est, ut aliis jus quæsitum adimi non possit *d. l. 8. verb. cum nondum bona venierint.*

Contra aditam hereditatem nemo restituitur, nisi probata lesione vel errore.

THESES. IV. Contra aditam hereditatem minor 25. annis, qui inconsulta facilitate lapsus eaq; probatâ hereditatem adiens damnosam in integrum restitui potest *§. 5. Inst. d. hered. qual. & diff. l. 7. §. 5. d. minor.* quemadmodum è contrario, si quis juvenili levitate ductus hereditatem repudiaverit, aliquando à Præatore restituitur, ut eandem adire liceat, ac si omnia essent integra *l. 24. §. 2. ff. d. minor.* Utrum verò etiam major 25. annis causa erroris vel ignorantia superveniente & probatâ contra non aditam hereditatem restitui possit? Negativam DD. comm. defendunt vid. Christin. *decis. belg. vol. 4. decis. 213. n. 142. & seq. Ant. Faber lit. C. d. jur. del. def. 7.* Affirmativam tamen, si major justo errore vel ignorantia facti lapsus, adeundo hereditatem primo aspectu lucrosam, & quam quilibet etiam oculatissimus paterfamilias talem judicasset, & adivisset, & quæ postea reperiatur plena ære alieno, litibus & periculis, adeo ut nihil imputari queat heredi, quin hoc casu contra aditionem in integrum restitutionem petens audiendus sit, æquitati & juri convenientissimam putamus *arg. l. 1. §. ult. ff. ex quib. caus. maj. Arnold. Vinnius ad §. 5. Inst. d. her. qu. & differ. Rebuff, ad Const. Reg. art. 1. gl. 1. n. 32.*

CAPUT

CAPUT X
DE
NOVA CAUSA
IN
CONTRACTIBUS.

THESES. I.

Sicuti vocabulum contractus latius accipi solet, prout etiam includit pacta vid. Hahm. *diff. d. pact. th. II.* ita hoc loco idem accipimus, ut etiam pacta includat. Servandum autem est, quod ab initio convenit *l. 23. ff. d. R. l.* & fidei humana nihil magis congruit, quam servare conventa *l. 20. C. d. transactionib. l. 1. in pr. ff. d. pact.* Quando verò nova causa supervenit, licet ab his recedere; cum omnis conventio habeat tacitam conditionem: *rebus sic stantibus.*

Contractus sunt servandi, nisi nova causa accedat.

THESES. II. *Mutuum* est reddendum in eadem quantitate & qualitate *pr. Inst. quib. mod. re contrab. obl.* Aliquid tamen novi accidere potest, ut redditio non eo modo quo conventum est, sed alio fiat; Sic si prius debitum in aliam obligationem confundatur *l. 1. d. novat.* quæ novatio dicitur voluntaria, in qua hodie expressè animus novandi requiritur *l. fin. C. d. novat.* Vel si cessio nominis fiat *l. 16. C. d. solut.* quo casu debitor cedendo nomen vel debitum non amplius est obligatus quàm eatenus ad evictionem, ut solummodo verum debitorem, qui sine exceptione efficaciter est obligatus *l. 13. d. R. l.* non verò idoneum seu locupletem præstet *l. 4. d. hered. vend. Carpz. p. 2. c. 34. d. 26.* vid. tamen Brunnem. *tr. d. cess. action. c. 5. n. 48.* Vel si pactum de non petendo superveniat, quæ exceptio datur non tantum debitori, sed & ejus hæredibus tam adversus creditorem, quàm ejus heredem, si pactum in rem fuerit conceptum, secus si in personam *l. 7. §. 8. l. 57. §. 1. ff. d. pact.* Vel si jusjurandum voluntarium extra judicium ex conventionem fuerit delatum, quod speciem pacti seu transactionis habet *§. 4. Inst. d. except.* Vel si

Mutuum N.C. interveniente non est reddendum in eadem quantitate & qualitate.

transactio intervenerit, l. 17. l. 33. C. d. transact. Vel per præ-
scriptionem 30. annorum, uti liquet ex l. 3. C. d. præscr. 30. an-
nor. Vel si exceptio non numeratæ pecuniæ opponatur in-
tra biennium l. 9. C. d. non num. pec. Sic filius. non obliga-
tur ex mutuo l. 1. ad SC. Macedon. quando verò suæ potesta-
tis factus novatione fidem suam obligavit, vel aliàs debitum
agnovit, tenetur l. 2. C. ad SC. Maced. & filius. sui juris fa-
ctus, si partem solvit, totum debitum agnovisse videtur per l.
7. §. fin. ff. eod. ubi dicitur solutum non repeti, & cessare SCtum,
quorum illud ad partem solutam, hoc ad reliquum referri
debet.

Ob N.C.
differtur so-
lutio.

THE S. III. Supervenit quandoque nova causa, ut debitor,
licet maximè promiserit solutionem omnibusq; exceptioni-
bus renunciaverit, & solvere velit, ob casus verò, qui fato
quodam infelici acciderunt, non valeat & Creditor jus agen-
di habens actionem differre necesse habeat; Sc. quando debi-
tor ab eo, qui facultatem concedendi habet *litteras moratorias*
seu quinquennales consequitur, vulgò *Unstands Briefe*/ quin-
quenel, quæ invitis sapius & ignorantibus creditoribus in-
dulgeri solent iis, qui casuum fortuitorum, puta belli, incen-
dii, naufragii, ruinae, inundationis, prædonum, tempestatis
(quibus annumerandus est & ille casus, quo quis à suis debi-
toribus, qui ruptam bancam fecerunt & falliti facti sunt, eò re-
ductus est inopiæ, ut ad hoc induciarum asylum ipsi sit confu-
giendum) violentiâ & impetu facultatibus everfi & ad inopi-
am redacti sunt vid. Anton. d. Freudeberg. tract. d. rescript.
morat. ubi interim differtur, non perimitur exactio debiti, o-
mnisque executio tam in personam, quam in bona debito-
ris, ita ut medio tempore neque carcerari, custodirevè, man-
cipari aut arresto detineri possit Ant. Faber. tit. 9. def. 2. n. 1.
nec sortis tantùm debiti que principalis, sed usurarum etiam
suspendatur exactio l. 8. §. 1. ff. d. liber. legat.

Commoda-
tum etiam
ante finitum

THE S. IV. Quamvis *commodatum* ante finitum tem-
pus vel usum repeti non possit, l. 17. §. 3. ff. commodat. Si ta-
men nova causa superveniat, ut si commodans ipsâ re com-
modatâ opus habeat, illud que non præviderit, revocationem
habere

habere locum æquius est, cum actus ultra intentionem non
debeant extendi *arg. l. 8. C. d. revocand. donat.* Nova quo-
que causa est, quo minus res commodata restitui possit, si ca-
sus fortuitus interveniat, qui est commodantis, ut domini *l.*
5. §. 7. commodat. nisi commodatarius culpa vel levissima
causam dederit casui *d. §. 7. vel in ipso casu res suas commo-*
datis prætulit d. l. 7. §. 4.

THESES. V. *Depositum* est reddendum sine ulla mora
& exceptione *l. pen. C. depos.* adeo ut nec compensatio, nec
deductio, nec retentio opponi queat, sed statim non attenda-
exceptione ulla restitui debet *l. pen. pr. C. deposit.* Quando
verò post factum depositum vel expressè vel tacitè cautum,
ut depositarius, qui pecunias alterius recepit, & cui depo-
nens aliud quid debet, de eo securus sit, vel ut inde sibi debi-
tum accipiat aliàs non recepturus, retentioni rerum depofi-
tarum ex voluntate illa deponendi locus est, Sichard. *ad l. pen.*
n. 6. C. deposit. Mevius *p. 2. decis. 55.*

*Depositum
est reddendum, nisi no-
va causa
intervene-
rit.*

THESES. VI. Creditor *pignus* habens illud persequi
potest adversus quemvis possessorem, propter jus in re ipsi
competens *l. 12. C. d. distr. pign. l. 14. l. 24. C. qui potior. in pign.*
Nisi nova causa supervenerit; quod variis modis fieri pot-
est, in primis cessante jure ejus, qui illud concessit, neque ab-
solutè habuit jus in re illa pignoratâ, sed tantummodo ad
tempus *l. 31. ff. d. pignorib.* quia hypotheca durat, quamdiu
durat ius emphyteutæ Pinell. *d. bon. matern. ad l. 1. p. 3. n. 70.*
ob regulam: resolutio jure dantis, resolvitur jus accipientis
Decius *conf. 319. n. 3.* debitor enim non potuit alia conditio-
ne fundum pignori dare, quam quâ accepit *l. 67. d. contrah.*
emt. Nova quoq; causa est, quando pignus remittitur, idq; fit
vel expressè, si per pactum conveniunt ut ab hypotheca dif-
cedatur *l. 5. pr. quib. mod. pign. solv.* vel si creditor expressè con-
sentit in venditionem, donationem *l. 4. §. 1.* vel tacitè remit-
titur pignus, si duo creditores rem ipsis hypothecatam simul
emant à debitore *l. 9. pr. eod.* vel si creditor rem oppignora-
tam simpliciter reddiderit *l. 3. ff. d. pact.* quo ipso tamen jus
in re tantum, non autem debitum principale remissum cen-
setur

*Creditor pi-
gnus perse-
qui potest,
nisi nova
causa su-
pervenerit.*

letur *d. l. 3.* vel si debitor rem oppignoratam alienet consen-
tiente creditore *l. 4. l. 7. ff. quib. mod. pign.* Nova quoque ac-
cedit causa, quâ pignus resolvitur, per novationem sc legitimi-
mam *l. 18. d. novat.* voluntariam *l. 29. d. novat.* & validam *d. l.*
18. l. 4. C. d. fidejuss. Si tamen debitor nova det pignora, &
priorum non faciat mentionem, priora non solventur, sed
prioribus nova accumulatur *Mozz. d. pignorib. tit. quemad.*
resolvant. pignor. n. 9.

Licet Cre-
ditor sibi de
fidejussore
non prospe-
xerit, ob no-
vam ta-
men cau-
sam petere
potest cauti-
onem ido-
neam.

Chirogra-
phum ob no-
vam cau-
sam amittit
fidem.

THESES. VII. Licet ab initio Creditori non sit pro-
spectum de fidejussore, neque rebus sic stantibus eum petere
possit à debitor, suæ enim facilitati id imputet, quòd fidem
habuerit; Si tamen nova causa emergat, peti potest idonea
cautio; ut si de fuga suspectus sit debitor, quocumque loco
detineri & arrestari potest, neq; dimitti, donec idoneam præ-
stiterit cautionem de iudicio sisti & de iudicato solvendo
l. 7. §. fin. qui satisdar. cogunt. Sic spoliati fortunis, quos Im-
perator in *Novell. 4. c. 3.* infelices nominat debitores,
cavere debent, si ad pinguiorem fortunam pervenerint, se
satisfacturos quatenus facere possunt *c. 3. d. solut. Brunner.*
d. cession. bonor. qu. 7. Non tamen fidejussores possunt actio-
nem instituere contra principalem ex fidejussione, antequam
exolvant, *l. 10. C. mandat.* nisi nova causa supervenerit, ut si de-
bitor dilapidare incipiat & justam causam metuendi præ-
beat *Francus d. fidejuss. c. 25. n. 567.* *Hering. d. fidej. c. 25. n. 59.*
Neque fidejussor ultra veram actionis qualitatem, sive peti-
tæ rei æstimationem tenetur, nisi pro certa quantitate acces-
serit: alioquin ad novam causam & ad totam litis veritatem,
& omne illud quod aut per sententiam iudicis, aut per infi-
ciationem perque moram vel culpam rei accedere potest,
non tenetur *l. 1. §. fin. ff. qui satisd. cog. ibique Wesenbec.*
n. 9.

THESES. VIII. *Chirographum* recognitum & verifica-
tum contra scribentem ejusque heredem probat *Scacc. 2. d.*
judic. II. n. 80. chirographum enim recognitum vim habet
publici instrumenti; publicum verò instrumentum quoad
contrahentes & eorum successores est probatio probata *Ca-*
valc. decis. 45. n. 35. & inducit notorium *cap. 6. X. d. donat.*
Quan-

Quando tamen nova sese exserit causa, ob quam impugnari possit chirographum, perdit eam fidem. Ut si testes attestentur debitorem toto illo tempore, quo chirographum confectum pretenditur, alibi locorum fuisse § II. *Inst. d. inut. stipul. l. 4. C. d. contrah. stipul.* vel deponant, se illo tempore in illo loco, qui in chirographo exprimitur, fuisse; nec tamen se vidisse illud scribi, cum tamen scribi non potuisset, quin vidissent Menoch. 2. *arbitr. jud. quest. 105. n. 35.* vel si testes negent se subscripsisse, easque subscriptiones adulterinas contendant, chirographum corrumpit *c. 5. X. d. probat. c. 34. X. d. testib. c. 5. X. de his que sunt à prelat.* Vel si negent suos contestes subscripsisse, quo casu itidem chirographum vitiatur; quod si tamen contestes subscripsisse contendant, plus creditur reprobantibus, si coadjuvantes non sunt tanto numero, quantum sufficit ad validitatem chirographi, teste Gait. *d. credit. cap. 3. n. 63.*

THESES. IX. *Contractus emtionis venditionis* ob novam causam supervenientem rescindi potest; ut si postmodum appareat læsio ultra dimidium *l. 2. C. d. resc. vend.* quod remedium omnibus b. f. contractibus commune est. Hahn. *ad Wesenb. d. rescind. vend.* quo emtor vel venditor ultra dimidium justipretii læsus agit, ut à contractu vel recedatur, vel læsio resarciatur, nova enim provenit causa; si verò sciens viliori pretio vendiderit, cessat hoc remedium. Vel si post perfectum contractum accedant, qui ex jure protimiseos sive retractus rescissionem petunt; Sic jure communi retrahere possunt agnati feudum legitime alienatam tituloque oneroso translatum vid. Hartm. *Pistor. p. 2. q. 11. 12.* Dominus emphyteuseos *l. fin. C. d. jur. emphyt.* Creditor ratione crediti *l. 16. ff. d. reb. autor. judic. possid.* Fiscus *l. 1. C. d. metall.* jure statuario vel consuetudinario possunt proximi agnati propter retractum gentilitium, si integrum & justum pretium una cum sumtibus & expensis offerant, rem alienatam intra annum retrahere *Carpz. p. 2. c. 33. d. 3. 4. § 6.* Nova etiam causa est, si vitium rei venditæ inhærens & integrum quod antea latuerat, postmodum appareat, quo casu *Ædiles con-*

Emtio ven- ditio ob no- vum emer- gens rescin- di potest.

cedunt actionem redhibitoriam, quâ emtor agit contra ven-
ditorem, ejusque heredem, ut rem vitio affectam restituito
pretio recipiat, ac, si sciverit vitium, interesse præstet *l. 1. C. d.
ædilit. edict.* Si tamen novum illud apparens ita comparatum
est, ut à peritoribus prævideri potuerit, redhibitoria locum
non habebit, v. gr. cum vitium porci ex inspectione linguæ
& palati appareat, lanio eam non poterit instituere vid. D.
Richter *decis. 95. n. 30.* Carpzov. *p. 2. c. 34. d. 15. 16.* Mevius *ad
Jus Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 15. n. 7.* nam si alius, qui hujus rei
peritiam nec habet, nec habere debet, emtor extiterit, aliud
suadebit æquitatis ratio Brunnem. *ad l. 14. ff. d. ædilit. edict.*
n. D. Stryk. d. jur. sensuum disp. 1. c. 3. n. 44. 45.

*Conductor
nova causa
emergente
potest mi-
grare & ex-
pelli.*

THES. X. *Conductor* in re conducta ad finem loca-
tionis permanere potest, imò debet; neque potest eum loca-
tor ex ædibus locatis expellere *l. 3. C. d. locat. & cond.* Quan-
do verò nova causa supervenit, potest vel ipse migrare vel
ut migret cogi. Nova verò eaque justa causa migrandi
censetur pestis, vel lues *l. 8. ibique Br. C. d. locat. & cond.* Si-
chard. *in l. 3. n. 3. C. eod.* Ripa *in tr. d. peste p. 2. n. 18. & 23.* In-
cendium Bocer. *class. 2. disp. 4. th. 27.* metus ruinæ, belli, vel
damni *l. 25. §. 2. locat. cond. l. 28. d. damn. infect.* vel quando
ædes locatæ evidentissimis ostentis, spectris, & tetris imagi-
nibus enormiter incommodantur *l. 27. §. 1. ibique Gothofr.* Ex-
pelli potest ante finitum usum conductor, si mercedem pro
usu non præstet, elapso biennio in locatione quinquennali,
anno, in locatione annali Franzk. *ad tit. locat. n. 186.* quæ ta-
men ejectio fiat non propria, sed judiciali autoritate *arg. tit.
C. ne quis in sua caus. jud.* neque obstat, si pactum de condu-
ctore non expellendo intra locationis tempus adjectum sit
l. 54. §. 1. 4. ibique Gothofred. lit. D. l. 19. C. eod. Didac. Co-
varruv. *lib. 2. var. resol. n. 15.* Potest etiam ab altero expelli
conductor, si faber sit victor, aut alius opifex, qui sine strepitu
artificium suum exercere nequit, & in vicinia Doctoris, Ad-
vocati, Professoris aut Scholarium domum conducit; hæ e-
nim personæ ex singulari privilegio studiorum quietem de-
siderantium illum expellere possunt *arg. l. 14. C. d. oper. publ.*
con-

Nova quoque causa est, ob quam expelli potest conductor, si in cameram vel ædes conductas meretricem invito domino inducat *Nov. 14. §. 1. vers. si quis autem ibique* Gothofred. vel si alias malè in ædibus versetur, vel iis ad alios usus, quam ad quos conduxit, *Coler. d. process. execut. p. 1. c. 4. n. 18. utatur l. 54. ff. §. 1. 3. C. eod.* tunc locator ante tempus conventum implorato iudicis officio conductorem expellere potest *Mevius p. 5. d. 379.* vel potest cautionem de innoxio usu exigere *Mev. p. 5. d. 357.* Nova quoque causa est, ob quam receditur ab hoc locationis contractu, si vendantur ædes *l. 6. §. 4. d. action. empt. l. 9. C. eod.* juxta vulgatum: *Kauff gehet vor Mithen.* *Wehner. obs. præct. lit. K. Gomez. var. resol. 2. c. 3. n. 9.* quod tamen brocardicum admittit limitationes v. *Brunneman. ad l. 9. C. d. locat. & cond.* Similiter nova causa est, quando locator vel ipsius heredes propriis usibus suis rem necessariam esse probaverint, *arg. l. 3. C. d. loc. & cond.* ut si post contractum superveniat necessitas, secus si illa adfuit jam ante contractum *Anton. Faber. lib. 4. C. ad tit. 4. def. 51. Anton. Gabriel. tit. d. locat. concl. 3. n. 5.* Si corrigere eam dominus velit, modò correctio sit necessaria *l. 35. ff. loc. cond.* nam ob utilem refectionem conductor expelli nequit, *Trentacinq. tit. d. locat. resol. 4. n. 11.* Et tandem circa locationem animadvertendum est, sepius accidere, ut conductor propter sterilitatem remissionem pensionis petat, quam etiam, si sterilitas magna est, obtinere æquum est; sed si sequentes anni uberes sint, remissio, quæ primo anno facta est, revocari potest, eò quod sit una locatio per plures annos facta per *l. 8. C. 1. loc. cond. §. 1. 15. §. 4. ff. h. t. Anton. Faber. lib. 4. C. tit. 4. def. 3. Mantica lib. 5. tit. 8. in fin. Carpzov. p. 2. c. 37. def. 11. & seq.*

THESES XI. Societas superveniente propter delictum publicatione omnium bonorum solvitur §. 7. *Inst. d. societ. perveniente* vel si quis ex sociis ære alieno oppressus & mole debitorum publicatione gravatus bonis suis cesserit, & substantia ejus propter publica vel privata debita vendita fuerit, dissociatio fit; Si tamen solvitur. *de post. cessionem adhuc consentiant in societatem, nova videtur,*

tur incipere, & denuò consistere societas, §. 8. *cod.* quia bene potest societas novò consensu redintegrari Wesenb. *ad d.* §. 8.

*Absolven-
dum est
mandatum,
ni N.C.in-
terveniat.*

THESES. XII. Absolvendum est *mandatum*, §. 11. *Inst.* *mand.* nisi nova causa interveniat; qualis est, si revocatur mandatum, quod fieri potest re adhuc integra §. 9. *Inst. mand.* quia mandatum solius mandantis causâ contrahitur, quod consequenter, cum invito beneficium non detur, revocari potest, neque solum ipse constituens, sed etiam ejus successores & heredes hanc revocandi habent potestatem *l. 17. §. 1. ff. d. procur.* hodiernis moribus in quacunq; litis parte, & post litis contestationem vel condemnationem, & quacunq; causa eaque non expressa dominus procuratorem liberè revocare potest, sine tamen præjudicio adversarii in his quæ gesta sunt Petr. Gregor. Tholosan. *in syntagm. jur. lib. 49. c. 5. d. procur.* Imò re adhuc non integra potest revocari e mandans mandatum, si procurator mutet statum in deterius, ut quia efficitur inimicus constituentis, vel fit bannitus, vel deceptor Cardin. Tusch. *lit. D. concl. 502.* & Procurator cogitur absolvere negotia *d. §. 11. Inst.* nisi occupationes tales repente inciderint, à quibus non nisi suo damno queat abesse *l. si filiusfam. 8. §. fin. cum 3. legib. seqq. ff. d. procurat.* Idem dicendum est in reliquis contractibus tam innominatis & quasi, ut nova causa eos immutet.

CAPUT XI

DE

NOVA CAUSA

IN

CASU PROMISSIONIS ET FACTÆ
RENUNCIATIONIS.

THESES. I.

*Promissum
est servan-
dum.*

OMne promissum cadit quidem in debitum; & servandum id, quod ab initio convenit *l. 23. ff. d. R. 1.* & promissione semel facta, adeoq; re non amplius integrâ

grá pœnitentiæ locus non est *l. 1. & l. 2. C. quand. lic. ab. disc.* Nisi postea alter non servet, & sic nova causa superveniat; nam omnis conventio habet tacitam istam conditionem: *si promissis stetur, si serventur placita*; si enim promittis decem, & ego promitto non agere vel aliter desistere, in promissione meâ tacita inest conditio: si decem dederis *l. 54. §. 1. ff. locat. cond.* sic qui promisit non offendere, potest offendere novâ offensione interveniente quia promissio habet tacitum hunc intellectum: *rebus ita stantibus* Gail. *lib. 1. d. pac. publ. c. 4. n. fin.*

THESES. II. Ergo promissio de non offendendo pacificationi inserta hanc patitur tacitam exceptionem, ut obtineat rebus sic stantibus, & nisi superveniat offensio nova Gail. *c. l. n. 45. & seq.* uti si alterutra pars eam non servet, faciendo ea, quæ pacis legibus vetita, aut quæ jussa omittendo; modo id quod contra fit, non sit vis levis, vel exigui momenti. Bona enim fides, & æquitas quæ maximè in hisce terrestrium decorum & rerum publ. conventionibus elucere debent, non patiuntur, quavis de causa & leviculi salutem cujusdam admissi occasione abrepta ad bella redire, quorum dubius eventus in discrimine universæ locet reip. salutem Schuz. *d. stat. rei roman. vol. 2. disp. 13. th. 14. lit. E.* At, si causa offensionis in obscuro latet, nova an vetus præsumetur? Tota res ex ipsius offensionis qualitate debet æstimari, ut si isthæc antiquis inimicitiis similior fuerit, ex veteri causa processisse injurias dicendum sit, præsertim si offensus ante illum offenderit. Aliter autem judicandum, quando nova offensio nullam cum transacta lite habet affinitatem, confer Besold. *d. jure pacis c. ultim. n. 8. sub. fin.* Eò enim cuncta referenda sunt, ut pax sustineatur, bellum, ob summa quæ secum vehit mala Grot. *d. jur. bell. & pac. lib. 2. c. 24. §. 10.* declinetur.

THESES. III. Post renunciationem, quicquid fit, quod juri, cui renunciatum est, cohæret, non subsistit *t. 1. X. d. ordinatio non extinguitur ab Episcop. qui renunc.* Renunciatio tamen non extenditur ad superveniens jus. Sic filia quæ in matrimonii tractu ens jus.

Promissio
de non of-
fendendo
tacitam ha-
bet excepti-
onem.

tractu renunciavit omnibus bonis paternis & maternis, ei tamen à patre in testamento certa summa est relicta jure institutionis, agere potest ad supplementum legitimæ Mynsing. cent. 2. obs. 7. neque obstat quod successio- nis vocabulo tam ea quæ ex testamento, quàm quæ ab intestato confineatur, ex Tiraquell. in tract. le mort saisit les vis. p. 2. declar. 7. n. 7. Dauth. d. testam. adtit. qui testam. fac. poss. ut ita utrique successioni tam ex testamento, quàm ab intestato renunciâsse, nec ad illam regressum habere posse videatur; nova enim causa est institutio à patre facta, qua non tantum pater pacto huic, utpote sibi præstito, tacitè vel expresse re- nunciare possit, ut testamentum patris impediatur, vide de hoc argumento latissimè tractantes Schurff cent. 2. cons. 14. Cothman. vol. 5. resp. p. m. 232. Gail. obs. 148. num. II. Decis. Cap. Tholos. qu. 457. Berlich. p. 2. concl. 43. Hartman. Pistor. 4. qu. 6. n. 33.

Qui renun-
ciavit non
accipere be-
neficium
potest, si sibi
conferatur.

THES. IV. Qui renunciavit non accipere benefi- cium ab aliqua Ecclesia, potest licitè accipere, si sibi confera- tur Ludov. Bolog. n. l. fin. ad municip. quia hæc renunciatio non trahitur ad jus superveniens, cum promissio habeat cau- sam præsentem, non verò de futuro, Mynsing. d. l. Idem habet Felin. in c. si diligenti col. pen. vers. 10. fallit. d. for. compet. ubi di- cit: quòd etiamsi renunciaverit juri, quod habet, vel habere sperat; quia intelligitur ex causa nunc subsistente. Vel si postmodum appareat & manifestè deduci possit, penes re- nunciantem fuisse ignorantiam, renunciatio nullam habebit vim; nemo enim præsumitur renunciare juri, quod sibi competere ignorat Gail. 2. obs. 77. Nisi appareat, renuncian- tem voluisse etiam remittere, quæ ignorabat. Nam si constat omnino de voluntate renunciantis, non relevat ignorantia, ut docet Bartol. in l. 31. sub n. 4. § 5. C. d. transact.

Donatio fa-
cta ob no-
vam cau-
sam revo-
catur.

THES. V. Si Donatio facta alicui est irrevocabiliter & cum renunciatio omnium jurium, propter supervenientiam liberorum tanquam novam causam revocatur l. si unquam C. d. revocand. donat. Treutler. vol. 2. disp. 19. th. 7. lit. E. Finckel- thaus, obs. 36. Non enim verisimile est, patrem tempore do- nati-

nationis de liberis postea nascituris cogitasse *arg. l. generali-*
ter §. 1. C. d. instit. & substit. quare nec est probabile, patrem
ob amorem & affectum paternum liberos postea nascituros
extraneo præferre, atque ita alienas successiones propriis an-
teponere voluisse *l. 30. in fin. C. d. fideicommiss.* Et donatio ista
sub clausula: rebus sic stantibus, & sic tacita quadam con-
ditione peracta censetur; deficiente ergo tacitâ conditione
omnis donatio evanescit *arg. tot. t. C. d. donat. que sub mod.*
vel condit. Carpz. p. 2. c. 12. d. 32. & c. 14. d. 19. & ita Facultas
Juridica Lipsiensis anno 1614. respondit: Ob wol N. bey der
Ubergabe ihres andern Mannes Liebe und Treue gegen Sie
gerühmet / auch solche Ubergabe festiglich zu halten verspro-
chen; dennoch aber und dieweil ein Geschenck oder Ubergabe
welche von deme geschicht / so keine Kinder hat / diese still-
schweigende condition in sich hat: Woserne der Schencker
und Geber künfftig keine Kinder erzeugen würde; Nach be-
gebener condition aber hinterzogen werden sol / und nach der
gemeinen Lehre der Rechtsverständigen / nicht vermuthet
wird / daß einery auff den Fall da Er zuvor gewußt hätte / daß
Er künfftig Kinder erzeugen würde / andern Frembden wür-
de etwas geschencket / und also dieselbe seinen Kindern wür-
de vorgezogen haben. So ist auch vorbemeldte Weibsperson
/ die von Ihr hiebevorn Ihrem Stieff-Sohne verspro-
chene donation vor Notarien und Zeugen / oder aber gericht-
lich zu revociren und aufzuheben wol befugt B. N. W. Q. Si
speciatim huic beneficio *l. si unquam C. d. revoc. donat.* sit re-
nunciatum, num ob novam supervenientium liberorum
causam possit revocari donatio? Distingui. An omnium in u-
niversum bonorum facta à Parente fuerit donatio: ita qui-
dem ut nec legitima liberis salva permanserit; An verò ea
adhuc præstari possit. Posteriori casu renunciatio revoca-
tionis valida est; priori autem, non nocet liberis, quo minus
legitimam suam consequi possint; quoniam in ea jus liberis
quæsitum est, quod sicuti non potest quacunque dispositione
ultima, ita nec actibus inter vivos auferri Covarr. *lib. 1. resol.*
c. 19. n. 5. Carpz. p. 2, c. 12, d. 33. ubi præjudicium affert.

CAPUT



CAPUT XII
DE
NOVA CAUSA
IN
CASU TRANSACTIONIS ET JU-
RAMENTI PRÆSTITI.

THES. I.

*Causæ legiti-
timæ trans-
actione so-
pita ob no-
vam cau-
sam resusci-
tari possunt.*

CAusas legitimam transactione sopitas resuscitare non oportet l. 16. C. d. transact. adeo ut utrumque transigentium ad servandam fidem firmè adstringat, & eo nomine juramento & sententiæ comparetur l. 2 ff. d. iurejur. l. 20. C. d. trans. Si tamen nova causa superveniat, contraveniens non dicitur contravenire Gail. lib. 1. d. pac. publ. c. 4. n. fin. Hinc si quis cum aliquo transegerit ex testamento, postea autem Codicilli reperiantur, in quibus plura sint legata, illud etiam quod ex codicillis debetur, petere potest, quia codicilli non sunt ostensi l. 3. §. 1. ff. d. transact. ubi Ictus Scævola dicit: *Cum transactio propter fideicommissum facta esset, & postea Codicilli reperti sunt: quæro, an quanto minus ex transactione consecuta mater defuncti fuerit, quam pro parte sua est, id ex fideicommissi causa consequi debeat? Respondit, debere.* Quorsum reterenda est causa erroris, ut si postmodum emergat transigentem errasse, qui error non nocet transigentibus, nempe quod nulla sit transactio, non visis nec cognitis verbis testamenti l. 6. ff. d. transact. l. 1. §. 1. in fin. ff. testam. quemadm. aperiant. Carpz. lib. 5. resp. elector. resp. 7. & ita responderunt Scabini Lipsienses: *Wenn nun gleich obberührte transaction und Vergleichung ihrer solennitäten halber richtig. Da aber dennoch anjesho beybracht werden möchte/ daß Herr J. v. B. keine gesampfte Hand und Recht zu den Lehen- Stücken gehabt/ und also die transaction und Vergleichung ex causa erronea getroffen worden wäre &c. So möchte sie auch Herrn J. W. oder*

✱

oder nunmehr seinem Sohne Herrn U. W. zu Schaden
und Nachtheil nicht gereichen / sondern es wäre derselbe die
Herrn E. außgezählte Gelder per conditionem indebiti wie-
der zu fordern wol befugt B. N. W. Cardin. Mantica d ta-
cit. & ambig. volunt. lib 26. c. 6. n. 11. & ita pronunciatum esse
à Facultate Juridica Francofurtanâ testatur Brunnem. ad l. 3.
ff. d. transact.

THESES. II. Transactio ritè facta propter noviter
reperta instrumenta non rescinditur, quia idem est in judi-
cato l. 4. C. d. re judic. quæ assertio tamen patitur limitatio-
nem vid. Brunnem ad l. 19. C. d. transact. Neque Princeps
transactionem legitimam rescripto potest tollere, l. ult. C. si
contra jus § l. 4 C. d. emancip. Aliud verò est, si postmodum
constet dolo instrumenta fuisse subtracta l. 19. C. d. transact.
vel si transactio cedat in præjudicium superioris, vel domini
directi, Rosenthal de feudis cap. 9. concl. 12. neq; etiam par-
tium de crimine publico transactio Magistratui præiudicat,
de quo v. Carpz p. 3. pr. crim. q. 148. Si enim hæc noviter reperta
instrumenta concernant Rempublicam l. 35. ff. d. re iudic. Mynf.
4. obs. 60. n. 1. eo casu etiam Impp. permiserunt restitui ne-
gotia & quidem statim, sed ex bona causa, i. e. si ex circum-
stantiis æquum id esse appareat, & evidens utilitas Reipubli-
cæ id iuaserit, fac. l. 4. C. quib. ex caus. mai. in integr. rest.
ad quam: l. Castrensis notat, quòd locum ea habeat in o-
mni republ. etiam si simplex fuerit municipium, add. Odd.
d. restit. in integr. p. art. 9. & seqq. ad exemplum idem obti-
nere docet Mynsing. 4. obs. 60. n. 8. in personis, quæ tutelæ &
curationi subsunt, quales sunt pupillus, minor, furiosus & si-
miles, cum hæc reipubl. æquiparentur d. l. 4. C. quib. ex caus.
mai. Quamvis his non tam propter instrumentum noviter
repertum, quàm beneficio ætatis subveniatur Donell. ad l.
10. C. d. transact. n. 4.

THESES. III. Magna vis & efficacia est juramenti, Juramen-
tum ob N. quod id, quòd actum est, firmat, licet absque juramento a-
ctus aliàs non valeret Gail. 2. obs. 40. n. 4. Non tamen servan-
dum tur.

Transactio
ritè facta
quando re-
scindatur.

dum est, si nova causa superveniat Wesenb. *in paratit. ad ff. d. jurejur. n. 13.* Sic si quid promissum sit ob causam, quæ subesse putabatur, & non subest, ut si juraveris, te facturum aliquid, eò quòd beneficium aliquod te impetraturum sperabas, quod tamen non impetras, tunc ad implendum promissum non teneris. Sic si ex una parte id, quod promissum fuit, non præstatur, tunc altera pars promissis stare non tenetur, absque ullo metu perjurii; Videtur enim illâ conditione jurasse, si alter quoque promisso suo steterit, & locum habet illud tritum: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Hinc eo ipso, quo Vasallus fidem domino suo mediante juramento promittit, Dominus ipse quoque tacitè & per consequentiam ad fidem adstringitur 2. *feud. 6. in verb: dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet, quod si non fecerit, merito censetur malè fidus.* atque hoc est quod dicitur, inter Dominum & fidelem sive Vasallum fidem esse reciprocam, & Domino esse Vasallo conjugem & amicum, h. e. communi fidei vinculo conjunctum 2. *f. 6. ibique Gothofr. lit. b.* Quando verò Dominus aufert vasallo feudum, vasallus non tenetur, est enim novum emergens, & pacta inter dominum & vasallum sunt correspectiva *arg. c. insinuatione 1. X. d. feud. c. potuit 4. loc. cond.* jam verò correspectivorum ea est natura, ut unum sine altero non consistat, sed deficiente seu sublato unò corruat & alterum *l. 81. §. 1. ff. d. hered. instit. l. 31. §. 1. d. adim. vel transf. leg.*

Jurans se certa die solviturum se ob novam causam non solvit, perjuris non est. THESES. IV. Jurans se certa die solviturum, si non solvit, perjurus est, *DD. in c. significavit X. d. testib.* Si tamen impeditur vi majori, vel si causa ejusmodi nova supervenerit, ut solvere planè non possit, à perjurii crimine liberabitur. Si causam non militèr in juramento semper excepta censetur autoritas legis & superioris, ut perjurus non fiat, qui propter autoritatem legis, vel superioris, non potest juramento satisfacere *l. fin. in pr. ff. ad municip. l. adigere 6. §. pen. & ult. ff. d. jur. patron. Mynsing. conf. 59. n. 17. Hering. d. fidej. c. 19. n. 122.* Et ita præceptum judicis, ne solvat ad diem constitutum, excusat debitorem à perjurio Jason. *l. fin. ff. qui satisd.* Modò debitor mandatum

datum illud non procuraverit Anton. de Ganima *dec. 289. n. 4.*
 Bart. *in l. creditor. ff. d. solut.* Sic mercator à perjurio excu-
 satur, qui nundinis solvere 100. juramento promi-
 sit, ubi ei merces emere & domum referre non fuit licitum,
 quibus per negotiationem, ne suos quidem sustentare potuit
 Rebuff. *l. nepos proculo col. 2. vers. item si mercator* p. 666. ff. d.
 V. S. Hering. *de fidejuss. c. 19. n. 124.* Sic jurans servare sta-
 tutum, liberatur, quando statutum revocatur Rol. à Valle
vol. 3. conf. 43. n. 19. Neque fidejussor incidit in perjurium,
 si adveniente die solutionis faciendæ creditor ipsi vel jura-
 mentum remittit, vel dilationem ad solvendum indulget,
 nova enim hæc est causa, quæ relevat à perjurio Panormitan.
in c. 2. ad fin. d. sponsal. vid Hering. *in tr. d. fidejuss. c. 19. n. 128.*
 Et qui juravit se debitum soluturum, & postea cessit bonis,
 non fit perjurus, si præter culpam ex casu fortuito fuerit fa-
 cultatibus lapsus Perez. *ad tit. C. d. his qui bon.* Sic etiam in
 his, quæ dependent ab animo alicujus, non est standum iura-
 mento, quando ex post facto daretur materia delinquendi
 Jason. *in l. cunctos populos colum. 11. vers. secundo principa-*
liter C. d. summ. Trinit.

THESES. V. A sponsalibus præsertim juratis recedere *A sponsali-*
 non licet; Potest tamen quis ob fornicationem post sponsa- *bu. juratis*
 lia etiam juramento firmata commissam licitè resilire; nam *ob N.C. re-*
 licet eidem fornicationem non possit opponere præceden *cedere licet.*
 tem, ob sequentem tamen poterit eandem in conjugem non
 ducere *c. quemadmodum 25. X. d. jurejur.* quia illi juramento
 talis inest tacita conditio: *si illa contra regulam desponsationis*
non venerit; seu, juramentum non intelligitur de novâ causa,
 & habet hanc tacitam conditionem; *si res in eodem statu man-*
serit.

THESES. VI. Si parentes jurassent, se non duros in *Si parentes*
 matrimonium filiam suam Caio, postmodum verò hic rapue- *jurassent, ob*
 ritæminam istam, & tunc parentes permittant raptam vive- *N.C. non te-*
 re cum captore, perjurium non committunt, aliud enim est *nentur stare*
 dare aliud est amissum non repetere, de quo eleganter Am *juramento.*
 brof, *lib. 3. offic. c. 4. Quæ indulgentia congruo intemperantiæ sup.*

H 2

plucio

plicio non videtur vacare, quando illis hoc solum permissum est, ut
rapta inirent conjugia, non connubii sacramento.

*Furans se
non velle re-
velare se-
creta non fit
perjurus, si
in testem
productus
veritatem
dicere ne-
cesse habeat.*

THESES. VIII. Jurans non velle relevare secreta, non
incidit in perjurium, si in testem productus veritatem dicere
necesse habeat; ejusmodi enim juramentum non extenditur
ad calum dicendi testimonium veritatis *text. in can. humanae*
auris 23 q. 5. c. 1. d. iureiur. in 6. si verò tempore juramenti
cogitasset hunc casum testimonii, juramentum esset temera-
rium, quia peccatum mortale est, quod committitur tacendo
veritatem *Gloss. & DD. in c. pervenit. d. testib.* & ejusmodi ju-
ramentum illicitum ac contra bonos mores & utilitatem &
privatam praestitum non est obligatorium nec infamiam non
servanti irrogat.

*Juramen-
tum neces-
sarium re-
tractatur.*

THESES. IX. Juramentum necessarium retractari
potest, novis instrumentis repertis, & si apertè ostendatur
perjurium *l. 3. d. iureiur.* ibique Beuff. ita ut ipso facto re-
scindatur *l. 2. C. si ex fals. instrum. iudic. sit.* ibi dicitur, quod
de integro causa sit audienda, adde *l. 28. d. dol. malo.* & *l. 31. d.*
iureiur. ubi dicitur: jus jurandum concedi constitutionibus
Principum causam ex integro agere, si quis invenisse se dicat
instrumenta, quibus nunc ufusus.

*Advocatus
contra in-
jumentum
non facit, si
in progressu
causa intel-
ligit minu-
tam esse.*

THESES. X. Advocatus, qui juramentum praestitit, se
velle defendere clientem, atque ad finem litis ipsi velle assi-
stere, perjurium non committit, si in progressu causae intelli-
git causam sui clientis esse ineptam & iniquam, quampri-
mum enim causam in ipso etiam certamine talem deprehen-
dit, ab ea debet abstinere *l. 14. §. 1. C. d. iudic.* quod etiam in
Recess. Imper. *d. anno 654. §. über dieses Verordnete. p. 37.*
in praescripta juramenti calumniae formula saluberrimè pro-
visum est, add. *c. 66. d. R. I. in 6. c. 28. d. iureiur.* Treutler. *disp.*
8. th. 3. lit. A. Scotan. *disp. 17. th. 9.* D. Struve. *syntagm. iur.*
civil. exerc. 7. th. 5.

CAPUT

CAPUT XIII
DE
NOVA CAUSA
IN
ELECTIONE ET DELICTIS.

THES. I.

Eligens contra electionem factam nequit se ponere, nisi ex nova causa vel noviter deducta *c. nulli 8. d. election. in 6.* ubi dicit Pontifex Gregorius: *Nulli licere decernimus postquam in scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit subsequuta: vel postquam praestiterit electioni de ipso ab aliis celebratae consensum, illum super electione ipsa, (nisi ex causis postea emergentibus) impugnare: vel nisi ei morum ipsius antea celata, de novo pandatur improbitas: seu alicuius alterius latentis vitii, vel defectus (quae verisimiliter ignorare potuerit) veritas reveletur. De huiusmodi autem ignorantia fidem faciat proprio iuramento.* *Q. An Magistratus propter morbum podagricum supervenientem, tanquam novam causam, ab officio Magistratus removeri possit? Ita videtur per l. 3. d. offic. praef. praetor.* Verum quaestio ibi habetur de illis iudicibus, qui propter adversam & longinquam corporis valetudinem inutiles facti sunt; ut proinde propter aegritudinem, quae intervalla habet, quis non sit removendus ab officio publico *can. quodvis triste 7. quest. 1. & ita Ampliss. Facultatem Juridicam Jenensem pronunciaffe testatur D. Richter p. 1. conf. 24.*

THES. II. Fur, si res furtiva excedat 5. solidos seu *Fur ob N.C. aureos, laqueum meretur Sanct. crim. Carol. V. art. & Constit. superveni-* *Saxon. Elector. p. 4. c. 34.* Ob novam tamen supervenientem *entem non* causam pena ordinaria cessat, ut si fur perpetrato delicto est suspensus, & rem, antequam in carcerem coniciatur, vero *dendus.* mino restituat, aut eius nomine satisfaciat *Hahn. ad Wesen-* *bec. d. furt. n. 4.* tunc extraordinariam aliquam vel carceris vel relegationis vel iustigationis penam incurrit per *Constit. Electo-*

Electoral. p. 4. c. 32. §. fin. in verbis: Und nachdem den Rechts-
ten gemäß ist/ daß derer Diebe halben/ so ihres begangenen
Lasters zeitliche Reu tragen/ und dasjenige/ so sie gestohlen/
eh sie zum Gefängnuß gezogen/ oder beklagt worden/ wieder
geben/oder derowegen sonst Erstattung thun/ die ordentli-
che Straffe etwas gelindert werde/so lassen wir es auch ge-
schehen/ daß es in unsern Landen also erkant werden möge/
jedoch daß dieselbe Verbrechere gleichwol mit dem Gefäng-
nuß/zeitlicher Verweisung/ oder nach Gelegenheit der Um-
stände mit Staupenschlägen belegt oder gestrafft wer-
den.

*Num fur
rupto la-
queo ite-
rum sit su-
spendendus.*

THESES. IV. Nova quoque causa est, si fur suspensus
rupto laqueo vivus & incolumis decidit; num verò propte-
rea iterum sit suspendendus? Q Equidem quæstio hæc dubia
videtur & in jure nostro romano non decisa, ut negativa tan-
quam benignior sententia veniat amplectenda, *per l. 56. l. 168.*
ff. d. R. I. & quod post sententiam & conclusionem in causa
criminali semper ad probandam rei innocentiam novæ pro-
bationes & præsumptiones recipiendæ sint, *l. 4. in fin. ff. d. re-*
quir. & abs. damn. maximè cum favorabiliores habeantur rei,
quàm actores *l. 125. ff. d. R. I.* Jam verò hanc novam causam
non esse exigui momenti præsumptionem pro reo videtur, Dei
potiùs omnipotentis, quàm voluntate judicis servato *arg. ni-*
hil interest 32. ff. ad L. Jul. d. adulter. per lapsum enim hunc
Deum vel innocentia testimonium ipsi præbere vel criminis
pænam remittere voluisse, quæ autem Dei spiritu aguntur,
sub lege non sunt *c. duo sunt vers. Spiritus quidem Dei lex est 29.*
qu. 2. At furem rupturâ laquei ipso jure non liberari, sed
rursus suspendendum esse verior est opinio, quia sententia
condemnatoria suum debet fortiri effectum & realiter stri-
ctèque mandari *arg. l. 10. & l. 14. C. d. pen.* si verò reus in ter-
ram cadens non iterum strangulatur, dici non potest, senten-
tiæ judicis esse satisfactum, & eam executioni esse manda-
tam. Hoc tamen probè observandum largimur, quod si la-
queus à restione noviter contortus præter omnium spem
dissolvatur. & sine omni membrorum læsione in terram
cadens

cadens resurgeret aut aliud tale quid planè miraculosè con-
tingeret, è re sit, executionem parumper vel suspendere, & de
novo inquirere quàm scrupulosissimè in innocentiam & as-
serti miraculi causam, per l. 1. in fin. ff. d. quæst. & per ea
quæ exempli loco affert Wehner. in metamorph. rerumpu-
blic. cap. 3. ad fin. vel saltem reus ordinariâ pœna liberetur
& relegatione puniatur. Quam pœnam aliquando dictasse
Dnn. Jenenses & Lipsienses Jctos, circumstantiis tamen aliis
concurrentibus refert D. Carpzov. *prax crimin. p. 2. qu. 88. n. 42. & seqq.* Idem sentiendum est de eo casu, quando fœmina
soluta vel etiam meretrix mortis reum in matrimonium pe-
tit, quod is à pœna commerita non liberetur Schneidew. *ad
pr. Instit. d. oblig. quæ ex del. nasc. n. 3.*

THESES. IV. Actione injuriarum conventus & con-
demnatus infamiam incurrit; Ast novâ causa supervenien-
te, ut si quis iniuriam illatam statim revocet & deprecetur,
pœnam istam non incurrit Farinac. *de delict. & pen. lib. 1. qu. 20. n. 59.* quia per revocationem videtur satisfactum iniuriam
passo *arg. l. 35. d. R. I.* Pro cautela tradit Thomas Ferrar. *caut. 39.* quod si quis velit evitare actionem injuriarum, sive ver-
bum iniuriosum dixerit ex iracundia, sive ex proposito, sta-
tim, antequam recedat à loco, dicat, quod illud, quod dixit,
falsum sit, & quod eum pœniteat dixisse.

*Actione in-
juriarum
conventus
& conde-
mnatus ob
N.C. infamiam non
incurrit.*

THESES. V. Hereticus velut morbidum membrum
excommunicatur *c. excommunicantur 15. X. d. heret. & bona i-
fius ipso jure ex tempore delicti, intelliguntur commissa seu
confiscata Desfel. erotemat. jur. canon. lib. 5. tit. 7. q. 6. n. 3.* Ast si
pœniteat hæreticus, & ad gremium veræ Ecclesiæ per hære-
seos abiurationem redire paratus sit, nova causa est, ob quam
pœnæ tam de iure Civili quàm Canonico hæreticis impositæ
cessent *l. 4. §. 4. C. d. heret. c. 2. & c. 15. X. d. sepult.*

*Hereticus
pœnis ob N.
C. eximitur.*

THESES. VI. Veneficæ, quæ pactum cum Diabolo ine-
untes ab omnipotenti Deo recedunt & Satanæ se mancipant
cumburendæ sunt. *Sanct. Crimin. Carol. V. art. 109.* Si verò
pœnitentiam agant ante incarcerationem, pœna minuenda
est; uti nonnulli distingunt, si sagæ dampnum alicui dederint,
pœnam

*Veneficæ
non semper
comburen-
dæ.*

pœnam ordinariam infligendam esse, si verò damnum non dederint, & pœnitentes recedant à Diabolo, & ad Deum se convertant, arbitrariè habita ratione circumstantiarum, puniendas esse, uti existimat Fichardus *conf. iii. n. 2. p. 209.*

*Adulterii
pena miti-
gatur ob no-
vam remis-
sionis cau-
sam.*

THESES. VII. *Adulterii* pœna mitigatur ob novam à coniuge factam remissionis & receptionis causam, *auth. sed hodie C. ad L. Jul. d. adult. § Nov. 134. cap. 10.* & ita infert Virgilius Pingizer, *qu. Saxon. 57. n. 3.* *Si conjuges, inquit, sibi invicem condonent, tum in honorem ac reverentiam quasi reconciliati isto pacto matrimonii, & propter famam liberorum, pœna ordinaria mortis vel fustigationis nocenti persone remittitur.* Neque maritus tantum iniuriam sibi illatam uxori adulteræ remittit expressa intercessione, sed etiam tacitè ipso facto, si videlicet post delictum admittum, sciens cum eâ concumbat; quia istiusmodi copula est actus amicitiae, quem dum exercet conjux innocens, nocentem recipere in pristinam amicitiam videtur; tum quod per hanc novam causam restituatur unio illa per adulterium antea sublata, h. e. quòd per complexus eiusmodi conjugales pristina maritalis societas, adulterio dissoluta, redintegretur Thomas Sanchez. *de matrim. lib. 10. disp. 12. n. 6.* Ludov. Gilhaus. *arb. iudic. crimin. cap. 2. tit. 18. numer. 2.* Matth. Berlich. *practic. conclus. part. 4. concl. 27. n. 92.* Daniel Moller *in semestrib. lib. 3. cap. 13. n. 2.* Nova causa est, ob quam adulterii accusatio tollitur, si transigat pars nocens cum innocenti, non quòd transactio super adulterio sit licita, sed quòd maritus super adulterio uxoris transigere sine lenocinio non possit. Transactione igitur à marito admitta ius accusandi amplius non habet, cum penè nihil aut parùm differat, ab initio pecuniâ acceptâ in uxoris illegitimum concubitum consentire, vel propter lucrum aliquod comperti adulterii silentium iurisq; ex adulterio uxoris quaesiti remissionem polliceri. *l. 18. C. d. transact.*

*Differuntur
pena ob N.C.*

THESES. V. Delicta sequuntur pœnae; quæ executivè dandæ sunt, nisi nova superveniat causa; ut si mulier homicidii

cidii rea ad p̄nam capitalem damnata appareat pr̄gnans
seu gravida, eo casu cautum est, ne supplicio afficia-
tur ultimo, quamdiu uterum gerit. Calamitas enim matris
non debet nocere ei, qui in utero est, *l. 18. ff. d. statu homin.*
D. Præses in dissert. de jure pr̄gnantium cap. 4. th. 13. Nova cau-
sa est, ob quam executio p̄næ differtur, si in rescripto Princi-
pis certus dies quo fieri debebat, sit nominatus, ille autem sit
feriatus; nisi enormitas criminis vel utilitas hominum desi-
deret die feriato fieri *l. 10. C. d. feriis.*

CAPUT XIV & Ultimum.

DE NOVA CAUSA

IN PROCESSU.

THES. I.

In ordine judiciario palmarium est, quod iudex competens
adiatur. Fieri autem potest ut sit suspectus, qui repudiari
potest; nam nec Princeps ex plenitudine potestatis iudici
suspecto committere potest causam remotâ recusatione, quia
defensio, quæ iuris nature est *l. 1. §. 11 ff si quadrup. paup. sec. dic.* Stationem
per id tolleretur Roman. *conf. 521. n. 6.* Opponenda autem est
istâ iudicis suspecti exceptio ante litis contestationem, & sic
ab initio litis, cum sit dilatoria Brunnem. *d. process. c. 7. n. 17.* & *recta recu-*
absurdum foret, prius de meritis cause, & tum demum de ha-
sari potest.
bilitate personarum quærere Ludvell. *disp. justinian. 17. th. 3.*
lit. B. & hinc cum hæc exceptio iudicis suspecti post litis con-
testationem proponeretur, rejectam fuisse in causa Michael
Burg appellansem contra Leonhard Mayen appellatum te-
statur Ruland. *exemplo Cameral. ad Ferrar. process. accommo-*
datis c. 7. ita ut post opponens, multetur libra auri *l. penult. C.*
d. except. Tusch. *conclus. præct. tom. 3. conclus. 391. n. 2.* Si verò
post litis demum contestationem primùm existat & oriatur,
aut ante iudicium ceptum extiterit, reus autem eam igno-
rave-

raverit, tanquam nova causa semper allegari potest, Ca-
strenf. in l. fin. C. d. except. Fulv. Pacian. d. probat. c. 45. n. 15.
& 37. quam irregularem & extraordinariam dicit Bachov. ad
Trentler. vol. 1. disp. 12. th. 12. lit. B. & C. quæ enim de novo e-
mergunt, novo opus habent remedio. l. II. §. 8. ff. d. interro-
gat. in iur. fac. quod non aliter recipiendum esse in Camera
censuerunt, quàm si notoriè & evidenter constet judici, eam
de novo supervenisse Mynsing. cent. 4. obs. 59 in fin. & reus post
litem contestatam ad sui notitiam pervenisse prætendens, ju-
ramento hoc asserere tenetur Covarruv. pract. qu. 26. n. 2.
Hilliger. in Donell. lib. 17. c. 25. lit. O. Mevius p. 2. decis. 337.
num. 3.

*Libellus ob
N.C. muta-
re potest.*

THES. II. *Libellum* lite contestata non posse emen-
dari comm. à DD. est receptum, usuque passim invaluit id-
que per l. non potest ff. d. indic. quia per litem contestationem,
quâ iudicium inchoatur, libellus transit in quasi contractum
inter partes l. 3. §. II. ff. d. pecul. Mutari verò libellus post
litem contestatam planè nequit Gail. lib. 1. obs. 74. n. 8. Nisi
justus intervenerit error Zasius ad §. si minus Inst. d. action. n.
II. Quo casu tamen cum propter novam rem nova sit faci-
enda petitio, seu novus interveniat libellus eum necessa-
riò nova sequi debet dilationis concessio, ut reus sciat, an
cedere, an contendere debeat arg. l. I. ff. d. edend. authent. of-
feratur C. d. litem contestat. Et porro nova sequetur litem con-
testatio, maxime cum reus à priore actione sit absolvendus,
expensæque litem non rectè motæ præstandæ l. eum quem reme-
re ff. d. indic.

*Potest ter-
minus pro-
batorius
prorogari.*

THES. III. Potest terminus probatorius ex justa
causa prorogari & duplicari; triplicari quoque & quadrupli-
cari potest in foro Saxonico C. S. S. D. c. 20. §. Wir las-
sen auch. Et tunc termini istius prorogatio pro nova causa
habenda est, ita ut termino prorogato durante, is, cui proba-
tio injuncta fuit, priores articulos mutare, augere & plures
aliosque testes producere non prohibeatur. D. Nicolai de
process. cap. 49. n. 10.

Testes pen-

THES. IV. *Testes* si pendente quæstione & appella-
tione

tionem super personis testium, an illi admittendi sint nec ne, ^{dente qua-}
vel ex rescripto Principis vel alia de causa parte adversa ^{stione rece-}
tata nihilominus sint recepti, & interrogatoriis adversæ par- ^{pti noviter}
tis omissis examinandi sunt, & productus ulterius ad exhibi- ^{non sunt re-}
tionem interrogatoriorum admittendus; quia hæc causa in- ^{cipiendi.}
terveniens est nova, quæ producenti non debet nocere, in-
primis cum lite pendente aut etiam appellatione nihil sit in-
novandum vel attentandum *t. t. X. ut lit. pend. nihil innov. exam-*
inatio autem hæc lite pendente facta pro innovatione qua-
dam haberi debet. D. Nicolai in process. iudic. cap. 59. nu-
mer. 50.

THESES. V. Quamvis testes regulariter demum post ^{Testes regula-}
litem contestatam in iudicio produci & examinari debeant; ^{lariter post}
Fieri tamen potest ut ob novum aliquod emergens, ut si te- ^{litis conte-}
stis in gravem morbum incidat, eoque detineatur, ita ut ^{stationem}
mortis periculum subsit, modò sit integræ mentis, quæ ad te- ^{sunt exami-}
stimonium perhibendum requiritur, ad perpetuam memo- ^{nandi, ante}
riam examinari potest, Farinac. *de testibus qu. 76. n. 82. qui n.* ^{tamen fieri}
III. dicit, quòd ægrotus tempore insituendi examinis recon- ^{potest ob no-}
valuerit eo casu non sit examinandus. ^{vum ali-}

THESES. VI. Etiam post terminum probatorium elap- ^{quod emer-}
sum documenta noviter reperta admittuntur, modò litiga- ^{gens.}
tores, quod antea eorundem notitiam non habuerint, de- ^{Etiam post}
monstrare, vel saltem juratò obtinere valeant, *c. pastoralis 4 X.* ^{terminum}
d. except. Ruland. d. commissar. p. 1. lib. 6. c. 2. n. 2. nisi adver- ^{elapsum}
sarius probare velit scientiam ejus, qui se nova instrumenta ^{probatori-}
reperiisse dicit Berlich, concl. 38. n. 99. Testes autem noviter ^{um docu-}
reptos post terminum probatorium posse produci negat ^{menta no-}
Moller. ad Const. Elect. 16. p. 1. n. 31. ubi tamen quoad causas ^{viter reper-}
criminales limitat. ^{ta admit-}

THESES. VII. Post conclusionem causæ nulla am- ^{tuntur.}
plius probatio, exceptio vel allegatio regulariter ad-
mittitur *arg. cum dilectus 9. X. d. fide instrument.* hinc
post conclusionem non debent produci instrumenta, nec
possunt fieri positiones, nec potest peti præstatio ju-
ramenti calumniæ, nec admittitur reconventio Gail. *lib. 1.*

obs. 108. Potest tamen iudex novam emergente causa, si illum evidens aliqua ratio moveat, ulteriorem probationem partibus injungere, cum iudici nunquam in causa concludatur *c. cum dilectus 9. X. d. fid. instrument.* vel si accusato vel inquisito in causis criminalibus novi quid obveniat, quod ipsi ad defensionem videatur proficuum, tunc reus non solum ante publicationem, sed etiam publicatis attestacionibus, adeoque post conclusionem proponere potest, per text. in *l. unius §. cognitarum ff. d. questionib.*

Juramentum calumnie ob novam causam etiam post litem contestationem prestandum est.

THESES VIII. Juramentum calumnie statim in exordio & litem initio, aut saltem quando litem contestata est, prestandum est *c. pen. X. d. iur. calumn.* Vigel. in *method. iur. controu. lib. 2. c. 8. n. 20.* quod iuri Camerali quoque convenit, *Ordin. Camer. p. 3. tit. 13. §.* Dergleichen soll der Eyd vor Befehde/ intra illud temporis & termini spatium, quod iudex determinaverit *l. 2. §. hoc etiam C. d. iurciur. propt. calumn.* quo casu iurare debenti de calumnia terminus ad deliberandum ulterior non datur DD. in *c. cum causam X. d. iur. calumn.* Potest tamen nova causa emergente hoc iuramentum post conclusionem cause iudex ex officio exigere per gloss. in *c. ex literis in verb. occultata d. iurciur.* Gail. *lib. 1. obs. 84. n. 6.* quantumlibet id faciat parte adversante & reluctante, ceu tradit Setler. *d. iuram. c. 6. n. 6.* & ita practicum fuisse referunt H. Hartmann. *1. obs. 3. tit. 14.* Wurmser. in *pr. Forens. lib. 1. obs. 3. n. 1.* inter Principem Electorem Palatinum & Hassie Landgravium in civitate Wormatiensi.

In leuteracionis instantia quando nove probationes admittuntur.

THESES IX. Latam sententiam pars que se gravatam queritur, potest leuterare intra decendum, Carpz. *p. 1. c. 19. d. 11.* Ubi sciendum: quod iure Saxonico nove probationes non admittantur in leuteracionis instantia, licet leuterans probationem tantummodo per instrumenta expedire velit, nisi instrumenta fuerint noviter reperta, idque leuterans iuramento suo obtinuerit, aut pars adversa in novam probationem consenserit Carpz. in *process. tit. 17. art. 1. n. 78. & seqq. D. Nicolai in process. c. 68.*

THESES



THES. X. In *Appellationis instantia* fatali prosequen- *Appellatio-*
da vel iustificanda decurso, vel neglecto appellatio pro de *nis fatale ob*
serta habetur, *Carpz respons. elect. tit. 12. resp. 118.* Si tamen *N. C. re vi-*
appellans ex iusta causa noviter emergente se impeditum *viscit.*
ostendat, illudque incontinenti probet, appellatio pro deser-
ta non est habenda: cum iusta & legitima sufficienter tamen
probata impedimenta sistant cursum fatalium & excusent à
pena desertionis *Mevius p. 1. dec. 14.* & tunc appellanti pe-
tenti alter terminus seu secunda & tertia dilatio ad iustifican-
dum quandoque conceditur, maximè si talis sit, qui gaudet
beneficio restitutionis in integrum contra lapsum fatalium
Nicolai, d. 1 part. 2, c. 6. n. ult.

COROLLARIA.

I.

MAter in ambitu nuptiali proxenetæ vel proco re-
spondens: Filiam suam se huic non denegaturam,
seu fieri posse, ut ista huic jungatur, postmodum ex
causa subsecuta, quando de consensu nubentium,
quod vinculo sponsalicio se illigaverint, plenè con-
stat, revocare velit, non est audienda, per tradita
Mevii p. 9. decis. 199.

II.

Advocatus non potest parti expeditum litis eventum pro-
mittere, cum ille non sit in advocato, sed in iudice *c.*
si quem poenituerit §. §. accusatorum. caus. 2. q. 3. licet e-
nim quis abundet iustitia, tamen si iudici conscien-
tia abfuerit, parum omnino hoc litigatori
prodesse solet. *Gvevar. in horol. princip. lib. 3, c. 51. n.*
658.

III.

Clausulæ aliàs salutares ab advocato libellis adjectæ operan-

...tur quantum possunt. Sic licet, quis in libello protestetur: se nihil convicii causa sed omnia secundum ius ac veritatem protulisse, litigans calumnie vitio non liberabitur, si injuriam proferat, protestatio enim facta est contraria, quæ nihil operatur *l. 21. ff. d. acquir. hered.*

IV.

Clausula: Se proponere hæc non in forma libelli solennis, sed simplicis qualis petitionis, nullius momenti est. Nam quod dicitur illam operari, ut de simplici & plano procedi queat, secundum Wesenb. *in C. d. form. & impetr. act.* non admittendum est. Ridiculum enim esset, actorem invita alterâ parte ex iudicio ordinario facere arbitrato suo posse extraordinarium ac summarium.

V.

Clausula: Peto reum vestrâ sententiâ condemnari & legitimis remediis compelli, salutaris, & ad tollendam omnem disputandi occasionem, tutius & utilius est utrumque conjungere Schneidevv. *ad §. 1. n. 126. Inst. d. act.* Nec refert etiam si ordo invertatur, ut primò petatur executio, deinde condemnatio: Cum enim non ordo scribentis, sed mens loquentis attendenda *l. si. ff. d. hered. instit.*

VI.

Congressus cum bestiâ iure digestorum non invenitur punitus. Honestæ enim leges hunc ne cogitarunt quidem. Nec olim Romuli temporibus de paricidiis quid fuit proditum. Hæc enim fieri non potuisse, illorum sibi temporum integritas persuasit, uti est apud Plutarch. *in Romulo.* qui & illud addit, quod sexcentis annis nemo huius criminis fuerit postulatus reus.

VII.

Non est res Principe digna, inter supplicia, cadavera, ossa ac interemptorum cineres versari; sed eius præsentia vulgò

vulgo causam præbet suggillationi famæ, cum odio ac summa crudelitati illud adscribat.

VIII.

Judex saltem per violentas præsumptiones certus esse debet de delicto, priusquam ad mordaces torture icus perveniat. *Natta conf. 592. tom. 3. n. 25.* Et testatur experientia, plurimos in ipsâ tortura immodicâ mortem obiisse propter extremas corporis angustias cruciatusq; quos sustinere non potuerunt, *Coler. in process. exec. p. 1. c. 6. n. 46.*

IX.

Conspiciuntur vitia cujuslibet gentis particularia, quæ ex aere, cibo, influxu, temperamento proficiscuntur. Ita *Germanos* vexat crapula; item arithmetica illa & circularis bibendi consuetudo. *Gallos* oppidò quàm immodesta venus: *Italos* undique conquistata Sodomias: *Hispanos* simile quid polygamia.

X.

Feudum in pecunia constitui posse existimamus, vel quòd pecunia apud ipsum Dominum sit, & certus Vasallo reditus inde solvatur; vel ut ad vasallum transferatur pecunia, sub qualitate fidelitatis; vel ut tertio cuidam, vel etiam simultaneè investito pecunia credatur, ut exinde reditum vasallus percipiat, ius crediti verò seu ipsum nomen pertineat ad dominum.

XI.

Feudum francum dispositioni testamentariæ non subiicitur, quia nullibi id iure feudali legitur constitutum. Manet ergo id in cæteris sub iure feudi proprii *arg. 2. f. 11.* Neque illud alienari potest, sed est ad heredes legitimos transitorium, prout feudi natura id exigit *2. f. 23.* Neque potestas refutandi vasallo est adempta *2. f. 9.* neque Ecclesia in eo feudo succedit, *text. 1. f. 13.*

Jus

XII.

Jus feudale Vasallum in acie periclitantem Dominum deserentem pœnæ indifferenter subjicit 2. f. 24. §. 2. neque distinguit inter periculum. Quantò enim minòr periculi metus, tantò probrosa magis Vasalli est desertio, quia ignaviam ejus & perfidiam apertius arguit. Rosenth. d. feud. c. 8. concl. 115.

XIII.

Quando servitia à Vásallo sunt præstanda indeterminata Dominus electionem habet; Habenda tamen heic est ratio indigentia domini & necessitatis, indeque determinatio recipienda c. sancimus verb. nisi necesse d. feud. sine culpa non amitt. 2. feud. 21. 2. f. 7. 2. f. 28. §. ad hoc.

F I N I S.

U^T parturit factum viros perillustres
Gestum decus, laudem splendidam coram
Mortalibus: Sic incluti Camœnarum
Nati, per actis rebus ex suo voto
Sperare possunt gloriam decentemque
Fructum. NOVAS, Æscharde Docte, dum CAUSAS
Proponis, ostendis novos secuturos
Posthac honores. Sit NOVÆ TUÆ CAUSÆ
Proinde fama consequentis insignis
Honoris ortus; dulcibusque Te Numen
Clemens beet mox fructibus precor corde

PRÆSES,



AS 55 109
AB: 153 710


ULB Halle 3
005 301 319



Sb.

VD17







38
DISSERTATIO JURIDICALI
DE
NOVA CAUSA,
QUAM
IN ILLUSTRACADEMIA SALANA
PRÆSIDE
PETRO MÜLLERO
U. J. D. Instit. Prof. Ordin. & Facult.
Jurid. Asfesf.
IN AUDITORIO JCTORUM
publicè ventilandam proponit
JOHANN CHRISTOPH. ÆSCHARDT,
ISLEBIENSIS.
Ad d. Maij.
JENÆ, TYPIS GOLLNERIANIS, ANNO 1681.

27

